3 2044 106 336 290

Swed
A-32

Library
Arnold Arboretum

of
Harvard University
Rebound February 1966

ACTA
SOCIETATIS REGIÆ
SCIENTIARUM
UPSALIENSIS.

AD ANNUM MDCCXLI.

U. 2.



STOCKHOLMIÆ
Typis & ſumtibus LAURENTII SALVII.
Anno 1746.

INDEX ACTORUM.

Pag.

HERBERTI RUBENII *Specimen obſervationum* in. S. Macarii Ægyptii Homilias, earumque verſiones. 1

Achu ΤΗΝ ἌΧΙ. ἌΧΕΙ. Gen. XLI. 2. 18. Job. VIII. 2. Syr. XL. 16. *Iuncus*. Auctore OL. CELSIO. - - - - - 9

Lobelia caule erecto, foliis ovatis ſubſerratis pedunculo longioribus, capſulis inflatis. Deſcripta á CAROLO LINNÆO. - - - - - - 23

Tabulæ pro calculandis eclipſibus Satellitum Jovis, ad Meridianum Obſervatorii Upſalienſis. Auctore PETRO W. WARGENTIN. - - - 27

JOH. FR. GRONOVII Med. Doct. *Piſces Belgii*, ſeu Piſcium in Belgio natantium, & a ſe obſervatorum Catalogus. 67

Decem Plantarum nova Genera confecta á CAR. LINNÆO. 77

Salmo oblongus, maxillæ inferioris apice introrſum reflexo. Deſcriptus á JOH. FR. GRONOVIO. - - 85

De inveniendo termino Maximo Multinomii ad exponentem quemcunqne Elevati. Auct. S. KLINGENSTIERNA. 91

Oeſtrus Rangiferinus, deſcriptus à CAROLO LINNÆO. - - 102

Brevis pervetuſtæ Weſtrogothorum urbis *Lidecopenſis* deſcriptio. - 116

Gringius fc.

ACTA
SOCIETATIS REGIÆ
SCIENTIARUM.

***

HERBERTI RUBENII
SPECIMEN
OBSERVATIONUM
IN
S. MACARII ÆGYPTII HOMILIAS, EARUMQUE VERSIONES.

EX antiqvis ecclesiæ Græcæ Patribus, qvorum scripta Ascetica tulerunt ætatem, nullus mihi svavior visus est MACARIO EGYPTIO. Juvenis eum diligere cœpi, qvia animum frigidum calefaceret & langvidum excitaret ad ardentius amandum Deum: nunc etiam seni adeo placet, ut qvoties lectionem haruncce

Homiliarum absolvi, statim repetere velim. Editione utor Græca Parisiensi, qvam dedit anno 1559 GUILELMUS MORELIUS vir eruditissimus. Hæc quia Moreliana non potest non etiam nitida esse; sed qvoniam omnium prima, & forsan ex uno, qvi tunc in bibliotheca fuerit Regia, codice, haud mirum librariorum errores omnes sublatos non esse. Sicut prima est, sic etiam huc usqve unica: nec enim novas editiones appellatas velim, qvas typographi defectu exemplarium in bibliopoliis, excudunt; sed qvas viri docti collatione codicum MSS. emendant, vel si hi desint, (multi enim sunt auctores Græci atqve Latini, qvorum non nisi unum supereſt exemplum, vetustum intelligo) accurata crisi illustrent. JOHANNI HEYWOODO Anglo, viro singularis candoris, & in lectione Patrum versatissimo debemus apparatum ad novam editionem: is enim ope codicis BODLEJANI, qvamplurimos errores sustulit, & loca hiulca sanavit notis ad versionem Anglicanam, qvæ Londini anno hujus seculi vigesimo primo lucem vidit, ornata erudita Introductione.

Dici neqvit qvanto me *Heywoodianus* labor affecerit gaudio, nec vereor ne gloriolæ notam qvis inurat, si fatear me plus simplici vice conjectando in easdem emendationes incidisse; stupidi enim capitis foret sæpius repetita lectione ejusdem libri, errores aliqvot librariorum non animadvertere. Ceterum ut integri sensus ex ingenio restituerentur, sperari non potuit, & talis Criticorum audacia temeraria mihi semper visa est. Satis fuit in margine notasse, λ{π{ ℌ. *Heywoodi* diligentia qvantumvis summa, non tamen potuere non qvædam effugere, qvæ an recte sanaverim, eruditorum esto judicium.

Ho-

Homil. IV. p. 43. fine. ἰδοὺ γὰρ αἱ πέντε παρθένοι αἱ Φρόνιμοι πήψασαι καὶ γοργυσάμεναι τὸ ξένον τῆς ἑαυτῶν φύσεως, λαβοῦσαι τὸ ἔλαιον ἐν ταῖς ἀγγείοις τῆς καρδίας αὐτῶν, κτλ. Interpres Latinus, Joannes Picus: *nam ecce qvinqve virginibus prudentibus & ſobriis ſumma cum alacritate accerſentibus hoſpitem naturæ ſuæ, accipientibusque oleum in vaſis cordis ſui*, &c. Anglicus: *For behold the five wiſe and ſober virgins, that haſten'd that which was a ſtranger to their natures, that took oil in the veſſel of their hearts, that is, the grace of the ſpirit from above.* Sed γοργυσάμεναι diſtinctione ſeparandum a τὸ ξένον, qvod cum λαβοῦσαι τὸ ἔλαιον connectendum, *qvinqve illæ virgines prudentes, ſobriæ ac feſtinantes, a ſua natura alienum qvid in vaſis cordis accipientes, puta oleum, id eſt ſupernam Spiritus gratiam.*

Homil. IX. p. 123. γένοιτο δὲ, ἵνα οὕτω τις ἀγωνιζόμενος καὶ πάντοτε προσέχων ἑαυτῷ, εἴτε ἐν εὐχῇ, εἴτε ἐν ὑπακοῇ, εἴτε ἐν ἔργῳ οἱωδήποτε. Latinus: *fieri autem poteſt, ut qvispiam ita militans, ſibique continenter attendens, ſive in precibus, ſive in obſeqvio Dei, ſeu in qvocunqve opere.* Anglicus: *And it is poſſible, that a perſon that thas ſtrives, and locks continually to himſelf, whether in prayer, or obedience, or ſome work or other relating to God.* Suſpicor ὑπακοὴν heic non ſignificare obſeqvium; ſed pericopam S. Scripturæ. Sic S. JOHANNES CHRYSOSTOMUS in Pſalmum XLI. T. I. pag. 609. Savil. τὴν ὑπακοὴν εἰς μέσον ἄγοντες, ἣν ἅπαντες ὑπεψάλαμεν τήμερον. τίς ἂν εἴη ἡ ὑπακοή; ὃν ἰρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος. *Pericopam in medium proferentes, qvam omnes hodie cecinimus. Quæ vero illa lectio?* Qvemadmodum deſiderat cerva &c.

Homil. XII. p. 161. ἔτι ἐν τοῖς μαρτυρίοις λέγουσι, καίῃς με, καίῃς με. Latinus: *in tormentis quoque dicunt*, uris me, uris me. Anglicus: *and under the torture they say*, you burn me, You burn me. Mallem, *adhuc in martyriis*, (id est, *sepulchris martyrum*) *dicunt*, uris me, uris me. PRUDENTIUS Hymno Emeterii & Chelidonii v. 106.

His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit:
Hæc coërcet, torquet, urit: hæc catenas incutit:
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit inlæsam rapinam: faucibus siccis fugit:
Ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,
Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola.

Et hæc *Martyrii* acceptio Patribus tam Græcis quam Latinis frequens, loca vero allegandi labore nos levavit SUICERUS Thes. T. II. p. 319.

Homil. XIV. p. 175. καίτοι γε διὰ τῶν Ἀποστόλων πολλὰς οἶδε φωτίζων. Latinus: *Porro etiam apostolorum ministerio multos novit illuminare.* Anglicus: *He knew moreover, hoo to enlighten many by means of the apostels.* Malo: *quin & opera apostolorum multos solebat illuminare.* Neque minus obvia hæc τοῦ οἶδε apud Scriptores τὰς ἔξω acceptio.

Homilia XV. p. 190. λαμβάνῃ γὰρ καὶ ἁγίους κυρίου καθέζεσθαι εἰς θέαλρα καὶ βλέπειν τὴν ἀπάτην τοῦ κόσμου. Latinus: *nam hoc adepti sunt sancti Domini, ut velut in specula sedentes contemplentur deceptiones seculi.* Anglicus: *For it so falls out, that even the saints of the Lord sit down in the watch-towers, and view the deceit of the world.* Mallem: *nam etiam con-*

contingit viros ſanctos Domini in theatris ſedere & adſpicere nugas ſeculi, qvod alioqvin graviter carpunt Patres, TATIANUS πρὸς ἕλληνας §§ 39 & 40. THEOPHILUS ANTIOCHENUS lib. III. JOHANNES CHRYSOSTOMUS Homilia de Pœnitentia, PRUDENTIUS Hamartigenia v. 308.

Idcirco, rogo, ſpeculatrix pupula molli
Subdita palpebræ eſt, ut turpia ſemivirorum
Membra theatrali ſpectet vertigine ferri?

Qvin & *Seneca* Epiſtola VII. *nihil tam damnoſum bonis moribus, qvam in aliqvo ſpectaculo deſidere.* Qvod εἰς θέατρα καθέζεσθαι heic dicit, (ubi Hom. XLIII. p. 498. οἱ τελῶναι καθεζόμενοι εἰς τὰς ϛενὰς ὁδοὺς, & Hom. XL. p. 478 εἰς θέατρα ϛήκοντες) id THEOPHRASTUS Characˉtere Hominis Blandi, τοῦ θεάτρου καθῆσθαι.

Eadem Homil. p. 195. ἀλλ' ὥσπερ ἐὰν ἡ ϛρατιώτης καὶ ἀποθῆται τὸ ὅπλον αὐτοῦ εἰς οἰκίαν τινὸς. Latinus: *verum, ſiculi miles, cujus currus depoſitus eſt in domo alicujus.* Anglicus: *But yet as a Soldier that has put up his chariol in any one's hauſe.* Si per codd. MSS. licuerit, vellem τὰ ὅπλα αὐτοῦ, *arma ſua.* Voces Latinæ cum victricibus Romanorum armis dudum in Græciam & terras Græca utentes lingva migraverant. Noſter hac Hom. p. 198 fine & 210 initio κόμητες, *comites.* Eadem pagina 201, item 213 bis & 216 παλάτιον, *palatium.* 216 κυβίκλια, *cubilia.* σίγνον, *ſignum.* Homil. XVI. p. 249 κονδίτου, *condimenti.* Hom. XXVI. p. 349 ἀννόνας, *annonas.* Hom. XXXII. p. 438. λώρεις, *loris.* Homil. XXXIX. p 472. κωδικέλλους, *codicillos.* Homil. XLIII p. 497. οἱ τίρωνες, *tirones* &c. Apud Tacticos recentioris ævi uſitatiſſimum τὰ ὅπλα, & niſi ita foret; non carperet hunc bar-

bariſmum THOMAS MAGISTER in ἐκλογαῖς. Ἅρμα, ait, ἐν ᾧ ἵπποι ζεύγνυνται. οἱ δ' ἐπὶ ὅπλων λαμβάνοντες, εὖ καλῶς χρῶνται.

Eadem Homil. p. 213. ὑποδείγματι δὲ βιωτικῷ κεχρήμεθα. Latinus: *Et quoniam exemplo ſeculari uſi ſumus.* Anglicus: *And having made uſe of an illuſtration taken from world as living in it.* Sed Præter. Perf. uſus in hoc verbo, pro Præſenti per qvam ſolitus, vertendum itaqve: *exemplo in rebus humanis obvio utamur.*

Homil. XVI. p. 254. ἀλλὰ σὺ ἀκούων ὅτι εἰσὶ ποταμοὶ δρακόντων, καὶ στόματα λεόντων, καὶ δυνάμεις αἱ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν σκοτειναὶ, καὶ πῦρ φλέγον, καὶ καχλάζον ἐν τοῖς μέλεσιν, ὡς οὐδὲν ἡ γῆ. Latinus: *Verum cum audis, qvosdam eſſe fluvios draconum, ora leonum, & poteſtates ſub cœlo caligmoſas, ignem ardentem & perſtrepentem in membris, qvale nihil terra continet.* Anglicus: *But you, when you hear that there are rivers of dragons, and mouths of lions, and dark powers under heaven, and fire that burns, and roars in your membres, ſuch as is not to be match'd vpon earth.* Legerunt ergo ἡ γῆ ſed malo ἠγῇ *pro nihilo reputas*, qvod qvoqve interpreti, neſcio cui, ſed Hiſpanum fuiſſe ſuſpicor, qvarundam noſtri Homiliarum, in bibliotheca publica Upſalenſi, ex dono SPARVENFELDII, placuiſſe video.

Homil. XVII. p. 268, initio. τὰ πράγματα οὐχ ὡς λαλοῦσιν ἔτως εἰσὶν ἅπαντα. Latin. *Certe non omnia ſic habent, ut loqvuntur.* Anglic. *The things themſelves are not all of them juſt as they deſcribe.* Meo judicio commodior foret ſenſus, ſi legeremus, οὕτως ἴσασιν ἅπαντα, *res de qvibus loqvuntur, non prorſus compertas habent.* Sic paullo ante de illo qvi mel non guſtaverat, copioſe tamen de ejus dulcedi-

ne

ne differit, οὐκ οἶδε τὴν δύναμιν τῆς γλυκύτητος, *ignorat vim dulcedinis.*

Homil. XXVI. p. 347. δαλὸν φυγεῖν ἀπὸ πυρός. Qvi locum hunc ſollicitarunt non meminere proverbii, δαλὸς εἰς πῦρ. Qvod etiam SVIDÆ memoratum. Vita Evthymii in COTELERII Monum. T. II. p. 206. τοιοῦτον γὰρ ἀγαθὴ ψυχὴ καὶ φιλόκαλος, ἀρετῆς προφασιν λαμβάνουσα καὶ μετρίαν. ξυρὸς εἰς ἀκόνην ἐϛὶ, δαλὸς εἰς πῦρ, ἵππος κατὰ πεδίου. ταῦτα δὴ τὰ ᾀδόμενα. *Talis qvippe eſt bona anima præclarique ſtudioſa, qvoties virtutis vel modicam accipit occaſionem. Novacula ad cotem eſt, torris ad ignem, equus in campo, juxta decantata vulgo proverbia.*

Pag. 349. λοιπὸν ἐκεῖ τι βλάπῃ τὸν ἄνθρωπον, εἰ καὶ ἔρχεται ὁ σατανᾶς πρὸς λόγον. Latin. *in qvo poſthac illic lædere poſſit hominem? Et ſi veniat ſatanas in judicium.* Angl. *what then is there that hurts the man? Though ſatan even comes to a reckoning.* Interpungendum puto εἰ καὶ ἔρχεται ὁ σατανᾶς; πρὸς λόγον. ἐϛί τις φίλος βασιλέως. Et verto: *qvid nocet etſi irruat ſatanas? verbi gratia: amicus qvis regis.* Infra 378. πρὸς λόγον, εἰσὶ δύο τόποι. Integra ῥῆσις p. 368. πρὸς λόγον δὲ εἰπεῖν.

Pag. 352. εἰ μὴ ϛολαϛικὸς ὁ μετρίως μαθὼν γράμματα. Diu eſt, qvod conjeci deeſſe particulam negandi, & οὐ vel μὴ μετρίως legendum eſſe, *niſi ſcholaſticus non mediocriter doctus*, nam mediocri ſive ſemidocto nihil vanius ac inflatius, & ei ægerrime perſvaſeris τὰ γράμματα ἀτέλεϛα eſſe, qvod optime transfert HEYWOODUS, *that learning is by no means brought to perfection.* Sed probe doctus optime ſcit qvantum neſciat, & qvam late pateat campus

pus ſcientiarum. Non me fugit χολασικὸς paſſim rideri Epicteto apud ARRIANUM, HIEROCLI in Facetiis, modo illius ſunt, aliisqve; ſed idem nomen alibi, aliaqve ætate honorificum. Mox etiam noſter χολασικὸν opponit τῷ ὀλίγα γράμματα εἰδότι, ubi omnino legendum δοξάζεσθαι ὑπ' αὐτῶν ὡς χολασικός, & ſic Baroccianus, etſi non monuerit HEYWOODUS.

Homil. XXXVIII. p. 470. πῶς ἐσοφίθη, Latin. *qva ratione deceptus ſit.* Angl. *How he was impos'd upon.* Immo, *qvo pacto edoctus ſit.* Nec enim inſolentior in bonam partem acceptio, & τοῖς ἔξω, & N. Fœd. ſcriptoribus ſacris, & Patribus eccleſiæ. Noſter item ſupra Hom. XVIII. p. 281. ἄλλοτε ἐν συνέσει τινὶ καὶ σοφίᾳ ἀῤῥήτῳ, καὶ γνώσει πνεύματος ἀνεξερευνήτῳ (ceu bene cod. Barocc. monente *Heywoodo*) ὑπὸ τῆς χάριτος σοφίζεται, *aliàs per gratiam inſtruitur in intelligentia qvadam & ſapientia ineffabili, & cognitione ſpirituali imperſcrutabili.*

Hom. XLIII. p. 492. κἂν ἔυρωστιν ἴδιον ἄνεμον. Puto legendum ἡδὺν ἄνεμον, vitium ex corrupta atqve confuſa pronuntiatione η & ι. Noſter homilia proxime ſeqventi, p. 507. ὅτε δὲ τὸ πλοῖον καὶ κυβερνήτου χρήζει, καὶ εὐκράτου, καὶ ἡδέως ἀνέμου πρὸς τὸ διαπλεῦσαι καλῶς.

Hactenus. Cetera alio loco.

ACHU.

אחו

Ἄχι. Ἄχη.

GEN. XLI. 2. 18. JOB. VIII. 11. SYR. XL. 16.

JUNCUS.

Auctore

OL. CELSIO.

***

QUicquid fere herbarum in fluviis ac paludibus naſcitur, reperies apud interpretes locis e Geneſi, Jobo, & Syracide allegatis. Adeo obſcura & ambigua viſa eſt hujus vocabuli expoſitio. Plerique facillimam, & tritiſſimam ingreſſi viam, ſtatuerunt אחו, *Achu*, nomen eſſe generale ad omnes ſtirpes, quæ creſcunt in ripis fluminum, & ſtagnorum. Sic Arabs, Syracidis Interpres: כשבה אלבקלה אלתי תנבת עלי שאטי אלואדי. *Velut olus, quod naſcitur ſecus ripam torrentis.* Ad hos referri poſſunt, qui gramen expoſuere; vel *pratum*, aut *herbam prati;* vel βοτανῶδες φυλάριον, *plantarium herboſum*, *a*) vel *paſcuum*, vel עמק שמח צמחים *vallem herboſam*, *b*) vel *paludem*, aut *loca paluſtria*, *c*) vel ὄχθην *ripam. d*)

a) Schol. verſ. Græc. *b*) Rabbini in Ab. Eſra Gen. 41. 2. *c*) Symmach. Job. 8. 11. Aquil. Joſeph. Ant. Jud. p. 43. Alius Schol. Græcæ verſ. Hieron. Lat. Vulg. R. Salom. Tigur. *d*) LXX Aldin Gen. 41. 2. Phil. L. de Joſeph. p. 540.

Ægyptiam vocem esse vult B. Hieronymus. *Audivi*, inqvit, *ab Ægyptiis, hoc nomine lingua eorum omne, quod in palude virens nascitur, appellari.* Addunt alii, Syracidem C. XL. 16. suum Ἄχι, vel Ἄχει, (variat enim lectio) habuisse ab Ægyptiis, quos inter viveret, scriberetque. Septuaginta quoque, in Ægypto degentes, vertisse Ἄχει Genes. XLI. 2. 18. Verum Hebræam esse appellationem verosimilius est, unde illam habere tam LXX Interpretes poterant, quam Arabes, & Chaldæi, quibus est אחוא *Achava*, & אחוונא *Achavvana.* e) Rabbini τὸ אחו, quod *pratum* exponunt, ab אח *frater*, dici volunt, quia gramina in pratis simul, quasi fratres, succrescant. Acute scil. ut solent in difficilioribus doctores recutiti argutari. Sane hæc vocabula confudisse R. Salomonem, & A. Esram, patet ex comment. ad Hos. XIII. 15. ubi אחים pluralem numerum esse volunt ab אחו.

Refertur a nonnemine ad אח *focum*, & dicitur *herba aquatici generis, folia gerens ita formam multarum flammæ linguarum imitantia, ut facile possit nomen inde obtinere, quia in foco flammæ ita acutæ, divisæ, & confertæ sursum emicant.* Sed cum herbæ aquaticæ magnam partem talia gerant folia, nobis, qui stirpes Biblicas demonstrare conamur, tam abstrusæ & dubiæ speculationes non sufficiunt.

Observo igitur ante omnia, certam herbarum speciem, & quidem talem, quæ riguis, vel ipsis etiam aquis, gaudeat, hic omnino intelligendam. Quod manifestum e colloquio Bildadi cum Jobo: *Num attollit se* גומא, *Gome, sine limo? augetur* אחו *Achu, sine aquis?* Item ex historia Pharaonis, cui

e) Bunt. L. T. p. 58.

cui ſeptem vaccæ pingues, & formoſæ in ſomno viſæ ſunt e Nilo emergere, & ad fluminis ripam paſci in *Achu*. Gen. XLI. 2. 3. 18. In Syracide legis Cap. XL. 16. Ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμοῦ. *Achi iuxta omnem aquam, & oram fluminis.* Syro Interpreti Syrac. XL. 16. *Achi* eſt חבלבלא *Chevelbelo*, quod vertunt *algam.* Verum *alga*, planta marina, huc non ſpectat. Syrum vero illud vocabulum Thomas Novarienſis in Theſ. Syr. Arab. Lat. p. 140. exponit לבלאב *Lablâb*, i. e. Auctoribus Golio, & Wanſlebio, *convolvulum.* *f*) Aſt Arab. לבלאב *phaſeoli* ſpeciem eſſe docuit Proſper Alpinus de plantis Ægypti p. 39. *g*)

Si quem moveat auctoritas Vulgati Interpretis Latini, &, qui eum ſequuntur, Bocharti, Parei, &c. quibus אחו, *Achu*, *Carex* eſt, vel *carectum*: meminerit, *caricem* haberi inter pabula minus laudata, & vaccis, quæ a Moſe eximiè commendantur, parum digna. Virgilius Georg. III. v. 230. de tauro:

- - - - *Inter*
Dura jacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta.

Hinc eſt, quod Rabbinorum nonnulli אחו *herbam medicam*, (אספסתא, *iſaphſata*) eſſe volunt; *gg*), quâ, tanquam pabulorum præſtantiſſimo, ſacrum taurum Onuphin paviſſe Ægyptios, refert Ælianus Hiſt. Anim. Lib. XII. c. XI.

f) Gol. L. Ar. p. 2092. Wanſleb. Rel. de Ægypt. p. 100. *g*) C. B. P. p. 341.
gg) R. Ben Melech Gen. 41. 2. conf. Boch. Hieroz. P. I. pag. 301.

Verum Medica herba ſeritur, & colitur arvis temperatis, udis autem & nimium aridis locis produci nequit. *b*) Qua occaſione notandus Athan. Kircherus, in Gloſſario Copt. Arab. נרסים, *Berſim*, transferens *Adiantum*, *i*) cum ex adpoſito קרט diſcere potuiſſet, medicam eo nomine ſignificari, quam ab Ægyptiis נרסים appellari, præter alios, auctor eſt Wanſlebius Relat. de Ægypto *ii*). Et plantam in Ægypto notam fuiſſe, hiſtoriæ non ſinunt ambigere. *k*) His adjungendus Arabs interpres, qui אחו noſtrum Gen. XLI. 2. 18. vertit itidem אלקרט *alkurt*, quod fœni *Burgundiaci* genus a Golio explicatur. *l*)

Cæterum, *Carex* quænam herba antiquis fuerit, difficilis eſt quæſtio. Acutam dixit Virgilius, quod non parum ambiguum. Sunt inter gramina, ejus, in foliorum marginibus, ſtructuræ, ut, ſi ſummam cutem iis perſtringas, ſubtiliſſimæ inſtar ſerræ, vulnerent. Ea ratione cum exiſtimarent nonnulli caricem a veteribus dici acutam, ut Iſidorus: *folia habet in utroque latere ſecantia, & acuta;* pro carice varias hujus generis acceperunt plantas: ſed veterum ingratiis; quibus acutæ dicebantur ſtirpes, non quæ ſecarent, ſed quæ pungerent. Sic junci ſpeciem quandam *acutam* dixerunt, de qua multa lego apud Antiquos ſcriptores. In Scholiaſte Ariſtophanis: Εἶδος φυτῦ κατὰ τὸ ἄκρον ὀξέος, καὶ πληκτικῦ πρόσεσικός βελόνη. *Genus eſt herbæ ſummitate acuta, & pungente inſtar acus.* *m*) Verba Comici ſunt:

K

b) Varr. R. R. I. 42. *i*) Kircher. Gloſſ. Copt. p. 196. *ii*) p. 101. *k*) Ælian. H. Anim. L. 12. c. 11. *l*) Gol. L. Arab. 1887. *m*) Equit. p. 382.

κ ἐκ ἀνήσω, πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀ τ' ἐμπαγῶ ὀξὺς, ὀδυνηρὸς, ἐπίκωπος.

Non prius deſiſtam, quam velut juncus, his infigar, aſper, & acutus, & acerbus. i. e. ut explicat Scholiaſtes: πρὶν αὐτὰς τρῶσω ὡσ σχοῖνος ὀξὺς καὶ ὀδυνηρὸς, *priuſquam ipſos vulneravero tanquam juncus acutus, & dolores inurens.* Σχοῖνον ὀξὺν, *juncum acutum*, pro lancea fuiſſe ranis contra mures pugnantibus, lepide fingit ſive Homerus, ſive alius in Batrachomyomachia verſ. 163. Junci *pungentes* dicuntur Apollinari Sidonio Lib. I. Ep. 5. *Acuta cuſpide junci*, Ovid. Metam. IV. v. 299. Neque aliter *caricem acutam* dixerit Virgilius.

Itaque *carecta* paſtores oderunt,& abhorruerunt. Columella Lib. XI. c. 2. p. 377. *Filix quoque, aut carex, ubicunque naſcitur, Auguſto menſe recte exſtirpatur.*

Papyrum reddunt Arabs, & Syrus Job.VIII. 11. נרי (*Berdi*) enim Arabibus, & ארבנא, *Arbono* Syris, eſt juncus, & papyrus. Sic Chaldæis, Uzielidi, & Hieroſolymitano אחו Gen. XLI. 2. 18. eſt גומא, *papyrus.* Et in LXX Interp. Eſai. XIX. 7. Ἄχι eſt pro ערות, quod multis videtur papyrus. Papyrum nos etiam maxime probamus; non tamen illam, quam refert Plinius Lib. XIII. c. 11. *naſci in Nili aquis, duo cubita non excedente altitudine gurgitum &c. cujus uſu maxime humanitas vitæ conſtet, & memoria:* ſed de qua Alcimus Avitus, Lib. ad Fuſcinam ſororem p. 436.

— *languentem lampada fervor*
Deſerit, & ſiccam percurrit flamma papyrum.

Et Paulinus: *m m.*)

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Et Drepanius Florus hymno de cereo paſchali:

Veſtibus innumeris tereti circumflua gyro,

Æquoream cohibet formatrix cera papyrum.

In quibus omnibus ſcirpum intelligi, diſcas a Plinio Lib. XVI. C. 37. *E ſcirpis detracto cortice, candelæ luminibus ſerviunt.* Et Prudentio Cathemer. hymno. V. v. 16.

- - *Igniculis* -

Pinguis quos olei rore madentibus

Lychnis, aut facibus paſcimus aridis,

Quin & fila favis ſcirpea floreis

Preſſo melle prius collita fingimus.

Paria de junco idem refert Plinius Lib. XXI. C. 18. *Uſus ad lucernarum lumina, præcipue medulla.* Ita Caſp. Bauhinus in Pinace. *Medulla prorſus nivea ad lucernarum lumina extrahitur.* Antipater Epigr. Gr. Lib. VI. p. 893.

Λαμπάδα κηροχίτωνα, Κρόνῳ τυφήρεα λύχνον,
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ,
Ἀντίπατρος Πείσωνι φέρει γέρας. - -

Lychnum ceream tunicam habentem, Saturni fumigantem lychnum,

junco, & tenui conſtrictum papyro,

Antipater Piſoni fert munus - - -

Rurſus de ſcirpis Plinius Lib. XVI. C. 37. *funeribus ſerviunt. Nam*, ut ſcribit Salmaſius Exercit. in

m m) Ap. Salm. in Sol. p. 706.

in Solinum p. 705. *Scirpo farciebant lectos mortuorum, cum quibus rogo inferebantur, & comburebantur.* Quorſum adducit illud Martialis: *Fartus papyro dum tibi torus creſcit.* Nimirum a ſimilitudine, eodemque uſu ad multa, ſcirpum papyri nomine donarunt veteres. Alioqui, quæ de ſcirpo habent, de junco eadem dici obſerves, ut idem utroque nomine eos intellexiſſe manifeſtum ſit; quanquam junci appellationem ad plures in aquoſis naſcentes ſtirpes extenderint, quæ tamen ſui ſunt generis, & propriis nominibus diſtingui debuiſſent. Utrumque pro eadem planta promiſcue uſurpaviſſe, exemplis pluribus probari forte merebitur. *Eſt ſcirpus ſine nodo, & levis junci ſpecies*, ait Donatus Comm. in Terent. Quin *juncum* appellant etiam Botanici recentiores. Vid. C. B. Pin. p. 12. Scirpus enodis eſt, unde proverbium: *Nodum in ſcirpo quærere*, apud Ennium, Lucilium, Plautum, Terentium, Hieronymum, Auſonium. Sic juncus enodis, *n*) ὁμαλὸς, æqualis, *o*) ſine ramo, *p*) teres. *q*) Scirpus, quia gracilis, longus, lævis, flexilis & mollis, ad omnis generis plectilia opera adhibetur. Varro: *Ex ſcirpo omne πλέγμα fiebat.* *s*) De caniſtris ſcirpeis v. Popma de Inſtr. Fundi, p. 35. Pomponius: *Quid habes in ſirpiculis, calve? omne piſcati genus.* Columella: *juncus paludibus deſectus ad vimina levis & mollis.* *t*) Plinius: *Uſus ad vitilium elegantiam.* *u*) Virgilius Ecl. 11. verſ. penult.

Quin tu aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,
Viminibus, mollique paras detexere junco.

Ex

n) Theophr. H. Pl. l. 13. *o*) Id. p. 17. *p*) Ariſtot. 4. 4. 9. d. *q*) Calpurn. Ecl. 5. 66. *s*) Varr. de L. L. *t*) Colum. L. 4. c. 13. p. 135. conf. Tibull. L. 2. Ecl. 3. v. 19. Calpurn. Ecl. 5. 66. Strab. L. 17. p. 824. *u*) Plin. L. 21. c. 18. Et Lib. 16. 1. & Lib. 19. c. 2.

Ex junco funes & varia ligamina fiebant, *x*) unde & his apud Græcos σχοίνος & σχοινίς nomen, Joh. II. 15. Act. XXVII. 32. Nam firmior quibusdam in locis eorum rigor, *y*) ut in fila cogi possent, & e filis contortis funes torqueri, docente Maimonide Comm. ad Tract. Parah C. XII. §. 8. Hinc igitur risci; *z*) calathi ad varios usus, ut cogendi lactis, &c. *a*) sportæ *b*) quasilli lanificarum, *c*) fiscellæ *d*) nassæ, *e*) storeæ; *f*) decipulæ, *g*) annuli, *h*) cribra *i*) pastorum pilei, *k*) lychni, *l*) coronæ. *m*) Eandem ob tenuitatem junco comparantur virgines, Terent. Eunuch. II. 3. 24. *Juncea pectora*, dixit Prudentius, de Coron. Hymn. 3. & orationem in longum protractam, sed exilem, & parum torosam σχοινοσενῆ adpellant Græci.

Scirpo tuguria & casas suas construebant, tegebantque pauperes. Plinius: *Scirpi fragiles palustresque ad tegillum: m.m*) Sic legunt docti pro *tegulum*, quod habent codices editi. Et rursus: *iis mapalia sua Mauri tegunt. n*) De junco, iisdemque Afris Marmolius, superioris ævi scriptor: in Ziz & Marizan, montanis regni Fessæ, *les plus riches ont des cabanes de nate de jonc.* Et: *habitent sous de nates de jonc, plantées sur des pieux. o*) *Scirpeam ha-*

x) Epigr. Gr. p. 202. Long. Pœmen. p. 11. & 42. Plaut. Rud. 3. 4. Hesych. Colum. p. 135. & 158. Strab. 168. Ach. Tat. p. 319. *y*) Plin. L. 16. 37. *z*) Popm: instr. fund. p. 37. *a*) Eurip. Cycl. v. 207. Tibull. L. 2. El 3. v. 19. Nemes. Eclog. 2. 33. *b*) Tzetz. ad Lycophr. vers. 665. Anthol.. Epigr. Gr. p. 865. Col. 12. 6. *c*) Epigr. Gr. p. 889. *d*) Varr. R. R. p. 145. Hieron. Ep. ad Rust. Mon. To. I. p. 38. & passim. Nemes. I. 1. Tib. 2. 3. 19. *e*) Plin. 21. 18. Athen. p. 105. Diod. Sic. 3. 37. *f*) Svid. in σχοῖνος. La Roque Palæst. 17. 18. 126. 127. *g*) Theocrit. idyll. I. 5. 3. *h*) Du Fresn. Lat. 199. *i*) Hor. Hierogl. p. 79. k) Barth. ad Calp. 312. ex Isidori glossis. *l*) Epigr. Gr. 893. *m*) Ovid. Fast. 4. v. 870. Philostrat. p. 834. Paschal de Cor. p. 202.

m.m) Plin. Lib. 16. c. 37. Salmas Solin. p. 705. *n*) Plin. Ibid. *o*) Marmol. Afric. To. 2. p. 306. 307.

habitationem dixit Auſonius. Καλύβης σχοινίδος meminit Leonidas Tarentinus in Epigrammate. *p*) Scirpeam ratem induci pueris, qui nare diſcunt, eſt apud Plautum. *q*) In Talmude prohibetur, ne quis die feſto in aqua natet, h. e. exponente Bartenorio, *ne quis faciat faſciculum juncorum ad nandum.* Tract. Betza C. v. §. 2. Nam qui natant, *juncorum faſciculos ſibi ſupponunt*, ait ibidem Maimonides. Scirpus pabulum pecudibus gratiſſimum, idemque ἀμφίβιος eſt, & tam extra, quam intra aquas enaſcitur. De φλέῳ, qui Scirpus eſt, *r*) Theophraſtus: φύεται δὲ ἐν ἀμφοῖν καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ ἐν τῷ ὕδατι. *Utroque loco*, i. e. *terra & aqua exit.* *s*) Equidem videmus quotannis non in aquis tantum excreſcere ſcirpos, ſed & fluminum, & ſtagnorum adjacentium ampliſſima ſæpe ſpatia veſtire, aquisque decedentibus virere nihilominus, &, æſtatis præſertim initio, dum teneri adhuc ſunt, armentis pabula præbere lætiſſima. Noverunt, qui rura peragrarunt, in tantum expeti vaccis, ut, poſtquam depaſtæ ſint, quod aquis extat, merſa deinde capitis parte, reliquum ſcrutentur. De junco idem legimus. Ælianus Hiſt. Anim. Lib. VI. C. 42. *Dona capræ præbebat Crathis a deſiderio ejus non abhorrentia, hederam, lentiſci pulcherrimas frondes, ſmilacem & juncum.* Quod ipſum alibi de elephantis etiam affirmat. *ſſ*) Hæc, niſi fallor, evidenter probant, ſcirpum vulgarem, & σχοῖνον λείαν, vel ἑλείαν, juncum *levem*, & *paluſtrem* prorſus idem, apud antiquos, ſæpiſſime ſignificare. Eadem natura, idem naſcendi locus, & ubique terrarum fœcundiſſimus proventus, & ad tam varia idem

C uſus,

p) Anthol. Ep. Gr. p. 515. *q*) Aulular. 4. 1. 9. *r*) Bod. ad Theophr. p. 463. *s*) Theophr. H. pl. p. 454. *ſſ*) Ælian. Anim. lib. 10. c. 10.

uſus, non poſſunt non plantam eandem demonſtrare.

Ulvam nonnulli pro אחו ponunt, nec, ut opinor, male. Fateor, ulvæ Romanis olim dictæ, nomen ſatis eſſe obſcurum. Unde vir cl. Claudius Perraltus in doctiſſima interpretatione Vitruvii Lib. II. c. 1. ſpeciem determinare non auſus, vertit; *herbes priſes dans les etangs;* & Lib. V. Cap. ult. *herbes de marais.* Ubi hæc in notis ſubjicit. *J' interprete ainſi le mot ulva. C' eſt une herbe fort celebre dans Virgile, qui en parle au 2. & au 6. de l' Eneide, comme d' une plante aquatique, mais qui eſt demeurée inconnuë aux Botaniſtes, qui n' en diſent preſque rien.* Lud. Anguillara & Nunneſius not. ad Phrynichum p. 18. typham paluſtrem eſſe ſuſpicati ſunt. Verum Plutarchus, *t*) & ipſe Theophraſtus *tt*) typham & phleum, i. e. ſcirpum, qui ab ulva diverſus non eſt, aperte diſtinguunt. In foro Romano exponitur φακὸς τελματικὸς, *lenticula paluſtris.* Nempe *Ulvæ* generalis fuit notio, perinde ac *Junci*, ad herbas complures, quæ in aquis proveniunt, ita tamen, ut ad *juncum*, vel ſcirpum, magis reſtringeretur. Equidem *ulvæ* nomine comprehenderunt quoque Nymphæam, & Sagittam. Teſtes Plinius & Sidonius Apollinaris. Ille Hiſt. Nat. Lib. XXI. c. 17. *Piſtanam a Græcis vocari, quam inter ulvas ſagittam appellamus.* Hic Epiſt. II. L. 11. ruris ſui amœnitatem extollens, h. m. loquitur: *Hunc circa* (lacum) *lubrici ſcirporum cirri plicantur, ſimulque pingues ulvarum paginæ natant, ſalicumque glaucarum fota ſemper dulcibus aquis amaritudo.* Ubi ulvæ nomine Nymphæa, niſi valde fallor, intelligenda, de qua Plinius Lib. XXV. c. 7. *Na-*

t) Plut. Quæſt. Nat. p. 912. *tt*) Hiſt. pl. Lib. 4. c. 11. p. 454.

Naſcitur in aquoſis, foliis magnis, in ſumma aqua, & aliis ex radice prodeuntibus, flore lilio ſimili, &, cum defloruit, capite papaveris. Ulvam & juncum non raro conjungi videas, ut in Plinio Lib. XVI. c. 1. *Ulva & paluſtri junco funes nectunt.* Ovid. Metam. IIII. v. 299.

- - *Non illic canna paluſtris,*
Nec ſteriles ulvæ, nec acuta cuſpide junci.

Et Lib. VI. v. 345.

- - *Fruticoſa legebant*
Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.

Et Lib. VIII. v. 336.

Lenta ſalix, ulvæque leves, juncique paluſtres.

Quin Columellæ caput inſcribitur: *De ſcirpo & ulva.* Quod appoſitionem magis, quam differentiam interpretor. De junco accipio, cum jubent *ulvam* ovibus ſubſterni, ut mollius cubent; *u*) & cum bucula nonnunquam paſcendo feſſa

Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva. g)

Ipſi Quirino

- *dabat exiguum fluminis ulva torum. h)*

Et Rhea mater

- - *Laſcivi mortis amore*
Luſa pudicitiam fluviali amiſit in ulva i)

Pariter in juncis mollibus dulcis quies Ulyſſi. Homer. Odyſſ. ε. v. 462.

ὁ δ' ἐκ ποταμοῖο λιασθεὶς
Σχοίνῳ ὑπεκλίνθη - - -

u) Cato de R. R. c. 38. g) Virg. Ecl. 8. v. 87. h) Ovid. Faſt. 1. v. 200.
i) Prudent. contra Symmach. p. 227.

- Ille vero ex fluvio ſecedens
junco recubuit - -

Scirpum, Græc. φλῶν, perinde atque *Achi* apud Jobum, in cœno naſci, jam dictum. De *ulva* Prudentius contra Symm. Lib. I. p. 227.

Haud aliter, quam ſi raſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum verſare ſolum limoque madentes
Excolere aureolis ſi forte ligonibus ulvas.

Scirpum ubique gentium naſci auctor eſt Theophraſtus, ut ſupra obſervatum. De ulva Rheni fluminis habes apud Naſonem; *k*) Tigridis, apud Solinum; *l*) Lambri, & Nicri apud Sidonium Apollinarem; *m*) alia loca

fœta paluſtribus ulvis, n)

ſcriptores indicabunt ſequentes. Ovid. Met. IV. 299 & XIV. 103 & in Ibin 225. Virg. Æn. II. 135 & VI. 416. Lucan. II. 70. Auſon. Moſell. v. 45. & 122. Unde pateſcit, in Germania, Phrygia, Caria, Lycia, Armenia, Aſſyria, Meſopotamia, Chaldæa, &, ne quis deſideretur locus, in ſtygia palude ulvam deſcribi. Vitruvius Lib. II. c. 1. *Ex ulva paluſtri componunt tuguria tecta.* Vegetius: *tempore hyemis de tegulis, vel ſcandulis, quæ ſi deeſſent, certe de cannis, ulva, vel culmo, & porticus tegerentur ad equites, & quædam velut baſilicæ ad pedites: in quibus tempeſtate ac ventis aëre turbato ſub tecto erudiebatur exercitus.* Item: *ex ulvis faſces compingebant equites*

k) Triſt. L. 4. El. 2. v. 41. *l*) Solin. ed. Salmas. c. 37. *m*) Lib. 1. Ep 5. & Paneg. Avit. v. 324. *n*) Ovid. Met. Lib. 14. v. 103.

equites, quibus loricas, & arma impoſita, ne udarentur, fluvios tranſmittebant. p)

Ex ulva figurabantur Argei; *q)* indeque plectebantur ſtoreæ, *r)* & ſportæ *s)*. Plinius: *ulva, & paluſtri junco funes nectunt ad prætexenda piſcibus retia. t)* Denique ulvis utebantur ad vimina, quibus ligarentur vites *u)*.

Fruſtra objicitur, ulvam inter pabula armentorum, vel pecorum locum vix habuiſſe, quandoquidem aprum

- *Ulvis & arundine pinguem*

minus probari Venuſino vati legimus Lib. II. Sat. IV. v. 42. Nam tenellæ pecudi ulvam commendat Georgicorum ſcriptor celeberrimus:

Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec veſcas ſalicum frondes, ulvamque paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes ſata. — x)

De θρύῳ etiam reperies eadem dici omnia apud Græcos ſcriptores, quæ de ſcirpo, ulva, & junco dicunt Latini, ſi ſtandum eſt doctorum hominum, qui Græca verterunt, teſtimoniis. Vid. Diod. Sic. L. III. c. 10. Ælian. de Nat. animal. L. XIIII. c. 14. & Var. Hiſt. L. V. c. 6. Philoſtr. Icon. p. 848. Nicand. Theriac. v. 200. Scyl. p. 50. Epigr. Gr. p. 238. Steph. Byz. p. 313. Suid. in θρυαλλὶς, & θρυΐνη. H. Steph. in θρύον. Gloſſ. Vulcan. p. 492. Ex θρύῳ varia fiebant πλίγματα,

p) Veget. R. mil. 3. 7. *q)* Sext. Pomp. de Verb. ſign. *r)* Serv. ad Virg. L. 2. Suid. in θρυΐνη. *ſ)* Pallad. 3. 7. *t)* Plin. 16. 1. *u)* Colum. Lib. 4. c. 13. p. 135. *x)* Virg. Georg. 3. 174.

ut ψίαθοι, *y*) &c. Quem admodum ſcirpus, vel juncus, ita θρύον in ripis, & litoribus, lacubus, fontibus, ac paludibus deſcribitur; *z*) ubi bubus & pecoribus molliſſima pabula inveniunt paſtores, quo modo

& formoſus oves ad flumina pavit Adonis a)

Et in Philoſtrati Iconibus p. 853. παρὰ ποταμὸν αἱ βόες, *juxta fluvium vaccæ* pinguntur. Θρύον non tantum prætextum fuiſſe Nilum, ſed totam Ægyptum eo abundaſſe, ſcriptores idonei confirmant. Memorat breviter Nicander in Theriacis. v. 200.

Αἰγύπτοιο θρυόεσσας ἰάμνας;

quos pluribus celebrat Diodorus Siculus de paſcuis ad Nilum ſvaviſſimis hoc modo loquens, θρύῳ non omiſſo: Ἔλη θαυμαστὰ παρεκτείνεται τοῖς χείλεσι τῦ ποταμῦ, πολλῆς καὶ παντοίας ἐν αὐλοῖς φυομένης τροφῆς. Διόπερ ὅταν γένωνται τῦ θρυῦ, καὶ τῦ καλάμυ, διὰ τὴν γλυκύτητα τῆς τροφῆς μένει. *Mirificæ paludes, & omnis generis pabulo refertæ ripis fluvii obtenduntur, quarum juncis & arundinibus deguſtatis, ſuavitate cibi attinentur*, puta Elephanti, de quibus heic aliqua narrat Hiſtoricus. *b*) Haud dubito igitur, θρύον Græcorum, & *juncum*, *ſcirpum*. atque *ulvam* Latinorum, ipſum eſſe *Achu*, in quo vaccas paſcentes ad ripam Nili fluminis per ſomnum vidit Pharao: quod ad oram cujusque fluminis provenire aſſerit Syracides; & ſine aquis atque cœno produci negat Jobus.

LO-

y) Suid. in θρύπη. *z*) Scyl. p. 50. Voſſ. ib. p. 23. Philoſtr. Icon. 848. Ælian. Anim. L. 14. c. 14. H. Steph. Theſ. T. 4. p. 1059. *a*) Virg. Ecl. 10. v. 18.

b) Diod. Sic. Lib. 3. cap. 10. p. 104. conf. Heliod. Æthiop. Lib. 8. p. 398.

LOBELIA

Caule erecto, foliis ovatis ſubſerratis pedunculo longioribus, capſulis inflatis.

Deſcripta

A

CAROLO LINNÆO

Prof. Botan. Upſal.

AMpliſſimum plantarum genus LOBELIA eſt, quod Rapuntii, Rapunculi galeati, Dortmannæ, aut Laurentiæ nomine deſignarunt Botanicorum Principes Species adeoque plurimæ, paucæ autem immo pauciſſimæ ſufficienter deſcriptæ aut depictæ ſunt; Hinc nomina plurima inutilia Botanicen onerant, deſtituta differentia ſpeciei propria, ſine qua cognitio plantarum nulla.

Patet hoc evolventi ſpecies apud Rajum, Plukenetium, Tournefortium, Plumierum, alios; proin Americanas & Æthiopicas primario plantas.

Has deſcriptas dum opto, præſentem delineare operæ pretium duco, plures æthiopicas, laudabili certe inſtituto, deſcripſit & depinxit Celeb: JO. *Burmannus* inter plantas africanas.

Dixi præſentem ſpeciem LOBELIAM *caule erecto brachiato, foliis ovato-lanceolatis obſolete inciſis, capſulis inflatis. Hort. diff.* 500. quod nomen re-

retinuit Celeb. *Royenus* in *flor. Leyd: p.* 529. ſynonyma reliqua non moror, cum hæc, ubi hiſtoria plantæ & differentia deficiat, enigmata mera ſint.

Radix fibroſa, apud nos omnino annua.

Caulis pedalis, aut bipedalis, erectus, craſſitie pennæ anſerinæ, inferne purpuraſcens, ſuperne viridis, angulis quinque, ſex, ſeptem, pluribus, incerto numero, exaratus; folia enim ſingula tenui margine per caulem decurrunt angulos conſtituentia; pilis brevibus horizontalibus, ubique albis, adſpergitur caulis, præſertim ad angulos.

Folia alterna, ovata, erecta, parum patentia, utrinq; viridia, venoſa vaſis ſubtus prominulis, ſubdiaphana, pilis albidis breviſſimis rectis utrinque adſperſa, margine inæqualiter ſubſerrata, ſeſſilia. Folia radicalia & caulina inferiora magis obtuſa, obverſe ovava, in petiolos fere deſinentia margine undulata; ſuperiora ſenſim ſenſimque minora, magis ſeſſilia, ovata, acuta; ſuprema lanceolata, plana; infima longitudinem digiti attingunt, ubi maxima, & propius inſerta ſunt, ut cauli, ſpatio longitudine folii, tria communiter folia adnectantur.

Flores parvi ex ſingulis alis foliorum ſupremorum ſinguli, ſolitarii, horizontales, uno verſu inflexi, ſæpe 40 in eodem caule, parvi, inſidentes pedunculis, ſemper & omni ætate, ipſo folio, e cujus ſinu enati ſunt pedunculi, brevioribus. *Calyx* germini inſidens, foliolis quinque, ſubulatis, patulis. *Corolla* ex albido cæruleſcens, tubo exalbido longitudine calycis; *Limbo* bilabiato: *Labio ſuperiori* erecto,

erecto, acuto, patulo, bipartito ad basin usque corollæ. *Labio inferiore* tripartito, æquali, latiore, antice, versus basin, in medio, macula duplici alba picto; versus faucem vero macula duplici flavescente; *antheræ* coalitæ, fuscæ, longitudine tubi corollæ, adscendentes ad rimam ipsius tubi.

Fructus. capsula ovata, magnitudine nucis Coryli, respectu itaque ad florem maxima, compressa, angulis novem elevatis obtusis longitudinaliter notata, calyce & emarcida corolla umbilicata, bilocularis, dissepimento latitudine contrario, inflata seu spatio capsulam & semina intercedente vacuo; hinc fructus magnus est, sœpe inflexus tamquam proprio pondere, semper tamen insidens pedunculo foliis subjectis breviore, filiformi, tereti, nudo.

Rami ex alis foliorum medii caulis, infra folia quæ pedunculos simplices exserunt enati, simplicissimi, solitarii, caule breviores, subnudi, ubi longitudinem folii attigerint, mox foliis parvis alternis investiuntur, e quibus singulis singuli pedunculi & flores, omnino ut in ipso caule; Ex alis vero foliorum terræ & radici proximorum rami nulli.

Hinc differt manifeste a *Lobelia caule erecto, foliis cordatis obsolete dentatis petiolatis, corymbo terminatrice. Hort. cliff.* 426. *t.* 26. pedunculorum longitudine, foliorum petiolis, fructus magnitudine.

Habitat in America septentrionali: Virginia, Terra Mariana &c.

Plantam siccam ante aliquot annos nobiscum communicavit Celeberrimus Botanicus J. F. GRONOVIUS, nuper autem ipsa semina, quæ in Horto

Upſalienſi ſata plantas produxerunt plurimas, deſcriptæ ſimillimas.

Tabula I. plantam naturali magnitudine repræſentat
a flos ſubtus ſpectatus
b flos ſupra viſus
c Pericarpium transverſim diſſectum.

TABULÆ
PRO
CALCULANDIS ECLIPSIBUS
SATELLITUM JOVIS,
AD MERIDIANUM
OBSERVATORII UPSALIENSIS.

AUCTORE
PETRO W. WARGENTIN.

EIdem, in dissertatione de Satellitibus Jovis, datam solvo, Tabulasque succinctas sisto, pro calculandis eorundem Satellitum Eclipsibus in umbra sui Primarii. Incipiendi hujus laboris auctor mihi fuit Astronomiæ ad Academiam Upsaliensem Professor clarissimus, Dominus A. CELSIUS, qui sæpius conquestus est, antiquas *Cassini*, Patris, Tabulas, quæ, ad id tempus, non dum editis novissimis Filii, inveniendis Satellitum, præcipue trium superiorum Eclipsibus, solæ inservierant, multiplici laborare defectu, & insuper esse rariores, nec iis omnibus ad manus, quibus illas Eclipses observare volupe fuerit. Hæc bina incommoda, in nostro aquilone, eo sunt graviora, quod errores calculi, in frigore hiemali non possint non Observatori multum parere tædii. Præterea ephemerides annuæ Astronomorum Parisiensium, in quibus omnes Eclipses quovis anno contingentes, supputatæ inveniri solent, non nisi præterlapsa magna anni parte, ad nos afferri solent.

Prodierunt quidem nuper Elementa Aſtronomiæ Cl. *Caſſini*, Filii, in quibus etjam continentur Tabulæ Lunularum Jovialium, antiquis correctiores: id tamen a cœpto jam labore me non abſterruit, cum nec illas tam facile ſibi comparare queant omnes Aſtronomiæ ſtudioſi, & præterea illæ ipſæ Tabulæ tam perfectæ non habeantur, ut omnem mihi, de Satellitibus bene merendi occaſionem præriperent.

Cum itaque operi me accingerem, formam Tabularum elegi eam, quam primus excogitavit, Primoque Satelliti applicuit ille Aſtronomorum ſuæ ætatis princeps, *Caſſinus* ſenior; perfecit vero, expeditioremque reddidit Cl. *Poundius;* utpote quam commendat mira calculi facilitas. Deinde firmiter apud me conſtitui, Tabulas nullis accommodare hypotheſibus, cujus demum cunque illæ fuerint, ſed obſervationes ſolas, huc uſque habitas, fundamenti loco ponere, quibus congruas ſi efficere poſſem Tabulas, certior eſſet ſpes, quod etjam poſt hæc habendis congruere debeant.

Obſervationes itaque magno ſtudio colligere cœpi, quarum quidem eximiam copiam, in actis ſcriptisque Aſtronomorum editis, inveni, magnam etjam Celeb. Dn. Prof. CELSIUS mecum benigniſſime communicavit earum, quas vel ipſe habuit, vel inter peregrinandum diligenter conquiſivit; non vero tantam, quæ ad indagandam integram Satellitum theoriam ſuffecerit. Nullam enim ante annum ſuperioris ſeculi ſexageſimum octavum, quo primum accuratius Satellitum Jovis Eclipſibus invigilare cœperunt Aſtronomi, obſervationem accepi. Annis quidem poſtea præterlapſis ſeptuaginta ſex, obſervationes a multis, præcipue in Obſervatorio Regio Pariſienſi, ſunt inſtitutæ, ſed præcipua earum pars non

dum

dum edita eſt. Quo factum, ut ſeries Obſervationum, a me collectarum, non ſit continua, ſed aliquot ſæpe annis interrupta. Quoniam itaque Solis, Lunæ, reliquorumque Planetarum theoria, aliquot mille annorum obſervatis fundata, non dum omnibus numeris abſoluta eſt, ſperare nefas eſſet, me omnes in Satellitum motu inæqualitates detecturum, calculoque ſubjecturum: quin potius certiſſimam ſpem foveo, gratum fore Sideralis ſcientiæ cultoribus, ſi, pro tenuitate mearum virium, aliquid præſtitiſſe, multaque nemini antea perſpecta vidiſſe me ſenſerint. Ut autem pateat, quid potiſſimum ad prædicendas cum ſucceſſu Satellitum Eclipſes conducere judicaverim, breviter oſtendam, in quibus Tabulæ meæ ab antea editis differant.

Quod ad Primum Satellitem attinet, initio tantum animus erat *Poundii* Tabulas, ad Meridianum Obſervatorii Upſalienſis reductas edere, quum illæ ſatis bonæ habitæ ſint. Sed earum cum obſervationibus inſtituta collatione, animadverti, eas non omne ferre punctum, ſed ſæpe quinque, ſex & plurium minutorum errori eſſe obnoxias. Qui error, licet per ſe videretur contemnendus, ſatis tamen intellexi, quam utile futurum eſſet, ſi hujus inprimis Satellitis Tabulas efficere valerem accuratiores, cujus miniſterio, longitudines locorum Geographicas potiſſimum inveſtigari poſſe fatentur Aſtronomi omnes. Nam ob hunc ipſum calculi errorem, deſideratum uſum præſtare non potuerunt obſervationes, vel accuratiſſimæ, niſi eædem alio loco ſimul obſervatæ ſint, ut collatæ demum differentiam meridianorum & conſequenter longitudinem indicarent. Ob multas autem cauſſas fit, ut ejusmodi correſpondentes Obſervationes non ſemper obtineri queant, adeoque uno tantum loco inſtitutæ nullius fere ſint uſus.

Si vero Tabulæ, ad certum Meridianum conſtructæ, ſatis eſſent accuratæ, obſervationis correſpondentis defectum ſupplere poſſent, adeoque una tantum, ubicunque locorum inſtituta obſervatio, magno cum compendio, obſervatorem voti faceret compotem. Periculum itaque facere operæ pretium duxi, multisque alacriter factis tentaminibus, ſequentia detexi.

I. A motu Primi Sat. annuo, quem *Caſſinus* Senior, I d. 1 h. 40 m. 12 ſec., *Poundius* vero, &, qui eum ſequitur, *Caſſinus* Junior, I d. I h. 40 m. 4 ſec. ſtatuunt, duo adhuc minuta ſecunda cum dimidio ſunt ſubtrahenda. Quæ correctio, licet exigua videatur, annis tamen 76, integra minuta tria, cum decem ſecundis efficit, quæ ſatis ſunt ſenſibilia, & antiquiſſimis obſervationibus rite repræſentandis neceſſaria.

II. Magna illa Æquatio, in Tabulis litera A indigitata, quæ ipſius Jovis excentricitati ortum debet, non major eſſe debet, in diſtantiis Jovis a Sole mediis, quam 39 m. 20 ſec. *Caſſinus* p. & *Poundius* eam fecerunt 39 m. 8 ſec., *Caſſinus* vero fil. 40 m. 23 ſec.

III. Æquationibus Luminis binis, quas a Cb. *Bradlejo* mutuatus eſt, tractatuique ſuo, de Longitudine in mari invenienda, haud ita pridem edito, inſeruit Cl. *Whiſtonus*, cum fructu uſus ſum, easque non tantum in Primo, ſed & omnibus reliquis Satellitibus utique locum invenire, compertiſſimum mihi habeo: quod hic ſemel indicaſſe ſufficiat.

IV. Detexi Æquationem, nulli antea, quod ſciam, cognitam, quæ diebus 21891, ſeu annis paulo minus 60, periodos abſolvit 50, adeoque intra dies 437, 19 h. 41 min. ſe reſtituit. Hæc Æquatio, quam omnium annorum Obſervationes ſatis manifeſte produnt, cum maxima eſt, ad 7 min. 20 circiter ſecunda aſcen-

aſcendit, &, rite applicata, Primum Satellitem egregie juvat.

V. Semimora I*i* maxima in umbra Jovis, iis temporibus, quibus Jupiter circa nodos ſuorum Satellitum verſatur, a *Caſſino* jun. recte aſſumitur 1 h. 8 m. 10 ſec. Cum vero Satellites eclipſes patiuntur, Jove 90 gradus a nodis Satellitum remoto, & ſemimora omnium eſt minima, Caſſinianæ Tabulæ eam 1 h. 2 m. 40 ſec, Poundianæ 1 h. 4 m. 0 ſec. habent; ſed obſervationes ſemimoram 1 h. 3 m. 40 ſecundis minorem nunquam admittere videntur. Immo, quoties Jupiter circa loca orbitæ ſuæ, inter nodos Satellitum media verſatus eſt, ſemimoræ Primi æquales fuerunt, quantum quidem percipere licuit: adeoque orbita ejus eandem ſemper ad orbitam Jovis inclinationem ſervat. Secus faciunt orbitæ II*i* & III*i* Satellit. ut mox oſtendam.

His applicatis correctionibus, & epocha certa conſtituta, obſervationes Primi, quas habeo plus quam nongentas, admodum pulcre cum calculo conveniunt, ut maxima earum pars non niſi aliquot ſcrupulis ſecundis, reliqua uno duntaxat minuto primo aberret. Oppido paucæ ſunt, eæque erroris plerumque ſuſpectæ, quæ duo minuta diſcedunt.

Secundus Satelles maxime irregularis ſemper habitus eſt, obſervatorumque, mirum in modum, exercuit patientiam. Eo magis mihi gratulabor, ſi eum ſatis feliciter me compeſcuiſſe didicerint Obſervatores. Id vero factum eſſe ſperaverim modo ſequenti:

I. Motum medium II*i*, in quo determinando vehementer aberravit Cl. *Grammaticus*, ſatis accurate aſſecutus eſt *Caſſinus*; nam à motu unius anni, qui apud eum eſt Id. 1 h. 43. m. 20½ ſec, quatuor tantum

tum ſcrupula ſecunda, adeoque a motu Annorum 76 quinque minuta prima ſunt ſubtrahenda.

2. Ubi valores proximi exponentium p, q, r, s &c ab eorum valoribus veris quam maxime recedunt, ſumma errorum nunquam excedere poteſt numerum $m-2$, ſi quidam iſtorum valorum fuerint fracti, nec numerum $m-1$ ſi omnes fuerint integri. Poſterius patet per præcedentia, eſt enim ſumma valorum proxime majorum $n+m-1$, & ſumma proxime minorum $n-m+1$, quarum utraque a ſumma valorum verorum exponentium p, q, r, s, &c, quæ eſt n, differt numero $m-1$, illa quidem in exceſſu, hæc in defectu. Prius vero inde colligitur, quod fractiones rejectaneæ vel adjectitiæ ad minimum conficiant unitatem. Hinc in binomiis, ubi $m=2$, $m-1=1$, & $m-2=0$ ſumma errorum maximorum, ſi valores proximi fuerint numeri fracti, eſt nulla, ſi vero integri, eſt unitas; In trinomiis, ubi $m=3$, $m-1=2$, $m-2=1$, ſumma errorum maximorum in primo caſu eſt 1, in ſecundo, 2, & ita porro.

Reſtat igitur ut jam oſtendamus, quid facto opus ſit, ubi valores exponentium p, q, r, s, &c beneficio limi-

limitum collecti (quos valores *præſumtivos* brevitatis cauſa appellabo) adhuc a valoribus veris differunt. Differre autem intelliguntur, ſi eorum ſumma non fuerit $= n$.

Ponamus valores præſumtivos ipſarum p, q, r, s, &c. (qui tantisper etiam dicantur p, q, r, s, &c.) ope limitum majorum in priore tabulæ præcedentis columna obviorum inventos eſſe, eorumque ſummam excedere numerum n (deficere enim non poteſt). Corrigi itaque debent hi valores præſumtivi, minuendo aliquos eorum unitatibus, donec eorum ſumma conficiat numerum n. Ut autem cognoſcatur quinam minuendi, quinam ſervandi ſint, ſequentes regulæ ſunt tenendæ.

1. Si aliqui valorum præſumtivorum p, q, r, $ſ$, &c. per limites majores primæ columnæ collectorum conveniunt cum valoribus præſumtivis, per limites minores ſecundæ columnæ inventis, illi ſervari debent. Ratio regulæ manifeſta eſt, ſi conſideretur, valores veros nunquam excedere limites majores nec deficere a minoribus.

2. Si valores præſumtivi per utrumque limitem inventi non conveniunt, ſtatuantur fractiones $\frac{a}{p}, \frac{b}{q}, \frac{c}{r}, \frac{d}{ſ}$, &c, quarum minima ſit v. gr. $\frac{a}{p}$; Denominator p fractionis hujus minimæ $\frac{a}{p}$ minuatur unitate, & ſcribatur p pro valore ejus diminuto $p-1$, & habetur fractio nova $\frac{a}{p}$; Comparetur illa iterum cum reliquis $\frac{b}{q}, \frac{c}{r}, \frac{d}{s}$, &c, & denominator fractio-

nis minimæ minuatur denuo unitate, quod tamdiu repetatur, donec $p+q+r+f+$ &c. conficiant ſummam n, & erunt p, q, r, f, &c. ita inventi valores veri quæſiti exponentium p, q, r, f, &c.

Hoc ut exemplo evadat clarius, proponatur invenire terminum maximum ſeptinomii $2+3+4+5+6+7+8$ ad poteſtatem *6tam* elevati: & erit $a=2$, $b=3$, $c=4$, $d=5$, $e=6$, $f=7$, $g=8$; $n=6$; $m=7$; $n+m-1=12$; $n+1=7$; $a+b+c+d+e+f+g+=2+3+4+5+6+7+8=35.=M$

Hinc

exp.	val. prox.	val. præſ.	exp.	val. prox.	val. præſ.
p	$< \frac{2.12}{35}$	o	p	$> \frac{2.7}{35} - 1$	o
q	$< \frac{3.12}{35}$	1	q	$> \frac{3.7}{35} - 1$	o
r	$< \frac{4.12}{35}$	1	r	$> \frac{4.7}{35} - 1$	o
s	$< \frac{5.12}{35}$	2	s	$> \frac{5.7}{35} - 1$	1
t	$< \frac{6.12}{35}$	2	t	$> \frac{6.7}{35} - 1$	1
u	$< \frac{7.12}{35}$	2	u	$> \frac{7.7}{35} - 1$	1
v	$< \frac{8.12}{35}$	2	v	$> \frac{8.7}{35} - 1$	1

Unicus hic eſt exponens p, cujus valores præſumtivi ex utroque limite collecti conveniunt, dando $p=o$, eſt itaque per regulam I valor verus $p=o$.

Reli-

Reliquorum exponentium q, r, s, t, u, v, valores præſumtivi cum inter ſe differant, ponantur per regulam ſecundam fractiones ſequentes:

$$\frac{b}{q}=\frac{3}{1},\ \frac{c}{r}=\frac{4}{1},\ \frac{d}{s}=\frac{5}{2},\ \frac{e}{t}=\frac{6}{2},\ \frac{f}{u}=\frac{7}{2},\ \frac{g}{v}=\frac{8}{2},$$

Harum fractionum minima eſt $\frac{d}{s}=\frac{5}{2}$, quare ex exponente $s=2$ rejiciatur unitas, & erit novus valor ipſius s, $=1$. Fiat igitur ut antea:

$$\frac{b}{q}=\frac{3}{1},\ \frac{c}{r}=\frac{4}{1},\ \frac{d}{s}=\frac{5}{1},\ \frac{e}{t}=\frac{6}{2},\ \frac{f}{u}=\frac{7}{2},\ \frac{g}{v}=\frac{8}{2},$$

Harum fractionum minimæ & æquales ſunt $\frac{b}{q}=\frac{3}{1}$, & $\frac{e}{t}=\frac{6}{2}$. Rejiciantur itaque ex exponentibus $q=1$, & $t=2$, unitates, & habentur novi valores $q=0$ & $t=1$. Fiat igitur denuo:

$$\frac{c}{r}=\frac{4}{1},\ \frac{d}{s}=\frac{5}{1},\ \frac{e}{t}=\frac{6}{1},\ \frac{f}{u}=\frac{7}{2},\ \frac{g}{v}=\frac{8}{2},$$

Harum fractionum minima eſt $\frac{f}{u}=\frac{7}{2}$. Ergo ex exponente $u=2$ rejicienda eſt unitas, eritque novus valor ipſius u, $=1$. Cumque hoc pacto ſumma exponentium reſiduorum $r+ſ+t+u+v$, ſeu $1+1+1+1+2$, ſit $=n=6$, erunt exponentium veri valores, $p=0$, $q=0$, $r=1$, $ſ=1$, $t=1$, $u=1$, $v=2$,

& terminus maximus $\frac{1.2.3.4.5.6\times 4^{1}\,5^{1}\,6\times 7\times 8^{2}}{1\times 1\times 1\times 1\times 1.\ 2.}$

$=19353600.$

Ratio hujus operationis ſatis eſt manifeſta. Sit enim terminus maximus præſumtivus

$$\frac{1.2.3.4.\ldots.n\,a^{p}\,b^{q}\,c^{r}\,d^{s}\ \&c}{1.2.3\ldots p \times 1.2.3\ldots q \times 1.2.3\ldots r \times 1.2.3\ldots s\ \times \&c.},$$

ubi exponentes $p, q, r, s,$ &c. aut veri ſunt aut veris majores. Si fuerint veris majores, minuendi ſunt ut fiant veri. Quæritur quinam minui debeant, & quantum. Si minuatur exponens p unitate, hoc tantundem eſt ac ſi terminus præſumtivus divideretur per $\frac{a}{p}$. Si q minuatur unitate, hoc tantundem eſt ac ſi terminus præſumtivus divideretur per $\frac{b}{q}$. Si r minuatur unitate, hoc tantundem eſt ac ſi terminus præſumtivus divideretur per $\frac{c}{r}$, & ita porro. Horum autem diviſorum eligendus eſt minimus, quia diviſor minimus maximum quotum relinquit.

Hinc facile patet, ſi in operatione ultima, duæ vel plures fractionum $\frac{a}{p}, \frac{b}{q}, \frac{c}{r}, \frac{d}{s}$, &c. fuerint æquales, & reliquis minores, nec ex omnibus fractionum iſtarum æqualium & minimarum denominatoribus unitates rejici poſſint, quin ſumma $p+q+r+s+$ &c fiat minor quam n, patet inquam, hoc caſu poteſtatem n:*am* mu'tinomii propoſiti $a+b+c+d+$ &c. tot terminos maximos æquales habituram, quot electiones denominatorum minuendorum fieri poſſunt. Sint verbi gratia fractiones tres $\frac{a}{p}, \frac{b}{q}, \frac{c}{r}$, æquales & reliquis $\frac{d}{s}$ &c minores, & liceat tantum duos denominatorum $p, q, r,$ unitatibus minuere. Dico poteſtatem multinomii habere

habere tres terminos maximos & æquales, quia tres dantur electiones rerum binarum in rebus tribus. Sit verbi gr. trinomium $2+3+5$ elevatum ad potestatem 8:vam, erit $a=2$, $b=3$, $c=5$, $d=$ &c $=0$; $n=8$; $m=3$; adeoque $a+b+c=2+3+5=10$, & $n+m-1=8+3-1=10$. Hinc

exp.	val. prox.	val. præf.
p	$< \frac{2.10}{10}$,	2
q	$< \frac{3.10}{10}$,	3
r	$< \frac{5.10}{10}$,	5

Summa valorum præsumtivorum $2+3+5=10$; sed summa verorum valorum est tantum $n=8$, ergo quidam exponentium p, q, r, minui debent, statuantur itaque ex præscripto methodi fractiones tres sequentes: $\frac{a}{p}=\frac{2}{2}$, $\frac{b}{q}=\frac{3}{3}$, $\frac{c}{r}=\frac{5}{5}$. Harum fractionum omnes tres cum sint æquales, & tamen duarum tantum denominatores minui possint, concludi debet, $\overline{2+3+5}^{8}$ tot habere terminos maximos æquales, quot electiones rerum binarum instituipossunt in rebus tribus, hoc est tres. Minuendo itaque valores præsumtivos p & q unitatibus manente r, habetur $p=1$, $q=2$, $r=5$. Deinde minuendo p & r, ac manente q, habetur $p=1$, $q=3$, $r=4$. Tandem minuendo q & r, ac manente p, habetur $p=2$, $q=2$, $r=4$. Termini igitur tres maximi & æquales sunt hi:

$$\frac{1.2.3.4.5.6.7.8\times 2\times 3\times 5}{1\times 1.2\times 1.2.3.4.5.}$$

$$\frac{1.2.3.4.5.6.7.8\times 2\times 3\times 5}{1\times 1.2.3\times 1.2.3.4.}$$

$$\frac{1.2.3.4.5.6.7.8\times 2\times 2\times 5}{1.2\times 1.2\times 1.2.3.4.}$$

quorum singuli posito calculo inveniuntur $=9450000$.

OESTRUS RANGIFERINUS

DESCRIPTUS

A

CAROLO LINNÆO

Med. Prof. Reg. Upſ.

Soc. Upſal: Soc.

***

NIhil in tota rerum natura admirabilius eſt Inſectorum procreatione. Excellentiſſimus univerſi Conditor omnia in hunc finem adeo ſapienter & præclare diſpoſuit, ut nullius hominis, quantumvis ſagaciſſimi, ingenium iis plene rimandis, ſufficiat. Quis non admiretur curam & circumſpectionem, qua miſella hæc animalcula, ovula ſua paritura, ejusmodi exquirant loca, quæ illis recipiendis ac fovendis ſint accommodatiſſima, quæque pullis recens excluſis, in tenella ætate, victum aliaque implendis naturæ deſideriis neceſſaria, ſponte ſua ſuppeditent? præſertim, cum mater, neſcio qua fatorum invidia, ipſis, nuperrime in lucem editis, ut plurimum præmatura eripiatur morte.

Hinc deprehendimus omnes papiliones ova ſua in hujusmodi plantis collocare, quas vermiculi è cortice egreſſi in ſuccum & ſanguinem convertere queant. Eadem de cauſſa, etjam muſcarum quædam ponunt ova ſua in putrefacta cadaverum carne: aliæ in luto & paludibus: in cloacis & ſterquiliniis aliæ: Nonnullæ dorſis erucarum aculeo perfoſſis, immittunt intra cutem aliquot centena ovula, quorum pulli ibidem excluſi corrodunt vermem antequam muſcæ fiunt. Inde

de factum eſt, ut homines per multa omnino ſecula crediderint, ingentem erucarum multitudinem in Ichneumones transformari. Quædam ova ſua Roſis affigunt, unde in his ſuccreſcit integer racemus hirſutarum punicearumque uvarum, qui noſtratibus ſpina ſoporifera ſeu officinis Bedeguar appellatur. Quædam Salicibus eadem annectunt, unde folia inſtar roſæ convoluta, evadunt colorata tamquam flores, liliique pleni formam induunt. Hinc Botanici ultra centum annos in ea fuerunt opinione, quod daretur peculiaris ſpecies ſalicis floriferæ, quam propterea Salicem roſeam appellabant. Aliæ inferiori lateri foliorum querneorum ova ſubtexunt, unde folium ſurſum creſcendo intumeſcit, donec gallæ rotundæ figuram referat. Idem fere animadvertimus in petiolis Populi & Glechomate ſeu Hedera terreſtri. Quid, quod in Abiete æſtivo tempore evidenter conſpicimus parva rotundaque piſa, fragorum inſtar, quæ in farinam tandem reſolvuntur. Lappones, ſilvas peragrantes, eadem, non aliter ac baccas, comedunt.

Horum vero omnium nihil maiori dignum videtur admiratione, quam quod muſcula quædam robuſtiſſimos tauros cervosque velociſſimos cogere poſſit ad ſuos pullos excludendos enutriendosque, ita quidem ut Pecora vel animalia ipſa, hoc modo muſcis imprægnata, ſæpiſſime intereant. Hæ muſculæ vel oeſtra vaccas adeo immaniter æſtate excruciant, ut per totam diem furentium inſtar ſurſum deorſum cogantur curſitare, caudas in altum tollentes, haud aliter ac cervi vegetiſſimi, quamvis macie ſæpe per hiemem attenuatæ, languidæ inſtar ſceletorum incedant, quando vere primum in paſcua abiguntur. Longe igitur immitiora experiuntur fata, quam quidem Motacilla vel Curruca, quibus negotium dat cuculus ova ſua excludere, ita tamen ut parum ipſis vel nihil, doloris eapropter accele-

ret,

ret. Anno 1732. cum à Societate hac Regia Scientiarum Upſalienſi ad plagas Boreales miſſus, menſe Junio venirem in Lappmarchiam Lulenſem, jam tum, pro more ſolito, inde ad Alpes migraverant omnes Lappones; quandoquidem in campis, eo anni tempore, rangiferos à muſcarum injuriis tueri non poterant. Lapmarchiam hanc vero accedens unum vel alterum deprehendi Lapponem, cum ſuis Rhenonibus, adhucdum ibi commorantem; Horum vero Cornua hoc tempore hirſuta, mollia, ſanguinea Polypoque ſimilia, a Tabanis usque eo compuncta erant, ut ſanguis guttatim ab iis defflueret. Præterea eos moleſti Culices continuis punctionibus infeſtabant, idque adeo horrendum in modum, ut quotidie domum revertentes humi ſe juxta caſulam Lapponis proſternerent, magnopere delectantes fumo, quem emittebant Agarici à Lappone accenſi; utpote qui moleſtos hoſce hoſtes ab inſultibus plane arcebat. Illinc ad alpes iter facturus, primo die obſervabam in Rangifero ſarcinam portante itinerariam, quomodo inter eundum, innumeris fere vicibus, gradum abrupte ſiſteret, ſtaretque inſtar columnæ vel Cataleptici, ſurſum elevato capite, oculis auribusque arrectis, nec ullo tractu, minis aut verberibus loco moveri poſſet; paullo autem poſt curſum ſua ſponte redintegraret.

Altero, poſt adventum ad alpes, mane, poſtquam dormitorium meum inter duas pelles Rangiferinas nactus fueram, extra caſam quandam Lapponicam, utpote nondum adſuetus odori, quem hæc intus à ſe ſpargebat, peringrato; prima luce à canibus & bubulcis propellebantur Rhenones numero circiter milleni, poſteaque à ſenibus & juvenibus, viris ac feminis Rangiferorum ubera emulgebantur. Hic vero coram mihi intueri licuit, Rangiferos ab hoſte quodam inviſibili vexatos. Omnes ſimul capita ſurſum erigentes, oculos aures-

auresque expandentes, calcibus terram aëremque verberantes tanquam extra se rapti videbantur; quo facto, quieti aliquantisper sedatique subsistebant: mox vero priores motus adorti ad eundem furorem redire cernebantur, idque tam celeri & simultaneo actu, ut turma militum nunquam promtius expeditiusve sua peragere posset exercitia: Hunc vero in modum se vel ultra centies gerebant. Ego vero hæc duabus continuis vicibus contemplatus, interrogabam Lappones, quis furor Rhenones eorum exagitaret? Illi respondebant, a muscis hos inquietari. Tandem diu solliciteque rationem expiscatus, animadvertebam muscas quasdam in aëre ultro citroque circumvolitantes, quas ideo statim manu prehendere conabar. Id videntes Lappones confestim mihi auxilio veniebant, ita ut brevi 4. vel 5. muscas acceperam. Quo facto, egomet in terram procumbens cœpi eas in partes dissecare ac dissectas describere, id vero cum facerem, Lappones undique confluentes me circumcingebant, magnopere admirantes papyrum meum, calamum, atramentum, scribendique methodum. Tum autem comperiebam idem insectum esse

OESTRUM, qua figuram & magnitudinem Bombylio perquam similem, totoque corpore hispidam.

CAPUT nigrum erat & pilosum. OCULI magni & coruscantes: spatium illis interjectum itidem erat nigrum, quod vero infra eosdem, subluteum.

PECTUS ingens erat & hirsutum; subflavum vero & prope caput & inferius juxta alvum, ita ut nigredo, Zonæ instar, pectus circumdaret.

ABDOMEN ovi formam repræsentabat, paululum depressum, proximeque pectus subluteum; cetera vero, totum quantum subrufum hirsutumque.

ALÆ erant duæ, albæ, pellucidæ, longitudine abdomen æquantes, huicque superjacentes, altera

alteri, qua interiores extremitates, ex parte ſuperimpoſita.

FEMORA erant ſex, nigra & hirſuta. CRURA & PEDES pallidi, quinque partibus conſtantes. In quolibet pede conſpiciebantur duo acuti & grandes unguiculi, quorum unusquisque ſubtus habebat ſquamulam, pilo inſuper inter utrumque pendente.

CORNUA erant duo eaque breviſſima.

OS parvum, ſine dentibus aut conſpicuæ magnitudinis proboſcide.

HALTERES ad latus, ubi pectus & ſtomachus coëunt, ſquamula tegebantur.

CAUDA non protendebatur ultra corpus; nec cuſpidem habens, nec quidquam alius cujuscunque metuendæ aſperitatis: quemadmodum nec in ore ullus inveniebatur aculeus; unde non ſatis mirari poteram, qui fieret, ut hoſtes adeo inermes in tam præcipitem timidamque fugam Rangiferos conjicere valerent. Compreſſo ſtomacho, exibat cauda, non aliter ac in muſcis noſtris ordinariis. Habitat vero illa 4. Cylindros vel teretes partes ad inſtar Teleſcopii, quarum una jacens intra alteram ab inſecto ipſo & contrahi poterat & exporrigi; omni vero prorſus carebat vulnerario inſtrumento. Hebdomade una alterave præterlapſa, ex quo dorſa Rhenonum, cum multis eorum œſtruariis, adſpexeram, deprehendebam, omnia hæc in medio aperta eſſe, rotundo foramine ſuperne relicto, eoque tantæ magnitudinis, ut facile per id penna anſerina ingeri potuiſſet, niſi quidpiam intus obſtitiſſet. Quædam foramina adhuc duplo erant majora. Obſervabam in fundo dicti foraminis, quaſi nigram, tenſam & elevatam membranulam, ob eamque causſam digito coarctabam œſtruarium duriuscule. Rangifer id minime pati poterat

erat: à circumſtantibus vero cohibitus anſam mihi dabat adhuc durius œſtruarium comprimendi, donec

PUPPA quædam inde prodiret, qua formam, ovo ſimilis, qua magnitudinem, glandi quercinæ, alba, nigra vero in cuſpide obtuſa, qua viam ſibi per foramen aperuerat. Totum corpus refertum erat lineis circularibus, criſpis & flexuoſis. Includebam eandem mox pilis rangiferinis involutam theculæ cuidam, viſurus, num aliam forte indueret formam; ſed cum nimis præmaturus eſſet abortus, labemque nimia compreſſione attraxiſſet, paulo poſt emortua contabuit.

Itaque poſt aliquot dies, aperturus iterum in alio Rangifero œſtruarium, puppam ad latera foraminis adeo concinne expreſſi, ut hæc integra vitiique expers in manus meas incideret: quo facto, multum, e ſauciato tuberculo, emanabat ſanguinis, ac tandem quolibet die, ſerum quoddam, inſtar puris ex ulcere profluentis; id quod itidem fiebat in altero Rhenone, cujus nuper mentionem feci. Puppam iterum inter pilos rangiferinos recondebam in arcula, quam ſemper mecum portabam. Biduum vero cum effluxiſſet, thecam denuo aperiens videbam muſcam inibi jam tum excluſam, unde mihi in proclivi erat colligere, illam præciſe eſſe eandem, de qua antea mentionem feci.

Præterea, dum iter faciebamus, quotidie obſervabam in Rhenone, qui ante me ducebatur ab interprete, quod muſca memorata integras tres vel quatuor horas ſimul nos comitans, volaret continuo ſupra vel paulo poſt tergum Rangiferi. Caudam geſtabat nunquam non protenſam, in hujus vero extremitate, ovulum album, magnitudine ad inſtar grani ſinapis. Mirifica toto die perfundebar voluptate, videns muſculam hanc, ceu aſſiduam meam comitem, ſæpe me citius defatigatam: in primis ſi aër

eſſet frigidior. Adeo cauta erat & ſollicita de ovo ſuo, ut id minime auderet à ſe in Rhenonem projicere, niſi gradum ſtitiſſet; ſæpe vero oblique illud ferebat, cauda nonnihil incurvata. Tam pertinax erat in comitando Rangifero, ut tandem penitus delaſſata in montes nivoſos delaberetur, ubi tanquam penitus exſtincta manibus prehendi poterat: Deinceps autem, poſtquam uno duntaxat temporis minuto in nive quieſcens ſpiritum, inſtar apis defatigatæ, attraxerat, mox provolabat ad proximam oram viridem, in eaque decumbebat circiter ſesquiminutum, antequam rurſus advolando veſtigiis chariſſimi ſui Rangiferi inſiſtere pergeret.

Mane & veſperi, quum in paſcua agerentur Rhenones, emulſis vaccarum uberibus, dulce mihi creabat ſpectaculum lepida illa contentio, quæ inter canes, Lappos paſtores, Rangiferosque oriri ſolebat. Etenim Rhenones ſexies ſæpe vel novies caſulam Lapponis circumibant, antequam paſtum abigi poſſent verſus illam plagam, quo tendebat paſtor. Rangifer nitebatur contra ventum: Paſtor vero gregi auram præoptabat ſecundam. Interim ſubodorari poteram, Rhenonem his fere ductum fuiſſe rationibus, quod videlicet, ſi, quo ventus flaret, ſequeretur, moleſtam hancce muſculam facile indivulſam ſibi habiturus foret comitem; ſin feſtinaret contra ventum, citius animalculum hoc, utpote cum adverſa tum luctaturum tempeſtate, defatigaret, atque adeo ab ipſius amore indefeſſo nonnihil ſentiret levaminis. Paſtor contra verebatur, ne Rheno contrarium ſibi habiturus ventum, paſcuis omiſſis, toto die, pro more ſolito vagabundus circumſiliret, nemini ipſum comitandi copia conceſſa; ſed ſi ductum auræ faventis ſequeretur, integrum diem, tarde lenteque eum pererraturum fore ſperabat; quamvis Lapponum nemini innoteſceret, hæc Rhenonum tubercula, à muſcis tanquam cauſſis dependere.

Heic

Heic vero cum admiratione contemplari licuit ſtupendum creatoris artificium.

Quomodo ſcilicet teneras haſce muſculas ab injuriis cœli defenſitaturus, fecerit eas hirſutas, ne in borealibus his & nivoſis montibus, frigoris vehementia interirent.

Quomodo tenerrimis earum pullis, non aliter ac fœtui in utero materno, abundantem præparaverit victum, per totam hiemem, e calido Rhenonis ſanguine, hauriendum.

Quomodo miſellis his animalculis hiberna proſpexerit, modo, ſupra quam dici poteſt, accommodatiſſimo, collocans eadem, intra cutem ſed extra muſculos corporis, hoc eſt, loco tepido, ubi nec nimius calor nec frigus nimium iis moleſtiam faceſſit.

Quomodo Deus huic uſui deſtinaverit dorſum Rangiferi, non vero latera vel ventrem, ne humi proſtratus muſculas has confringeret ac comminueret.

Quomodo creator ſapientiſſimus adeo denſis Rhenonem pilis conveſtiverit, ut nullum animal denſioribus luxuriet: quo fit, ut pili æſtate decidui eoque tempore longiſſimi, omnes in terga ſurſum erecti perſiſtant, indeque a cute paſſim ſua ſponte diſſolvantur. Hinc igitur ovum muſculæ in dorſum Rhenonis demiſſum, non poteſt non inter ſurſum erectos crines in ipſam cutem decidere. Ibi ſenſim excluditur quaſi lens quædam, quæ ſucceſſive cutem perrodendo inſinuat ſe poſtmodum inter hanc & carnem, ubi tandem commorabitur.

Memorabile eſt, cornua Rhenonum, hoc præciſe tempore, nuper excreviſſe, eſſeque adhuc hirſuta ac in extremitatibus molliſima, ita ut ad quemlibet, etiam minimum, attactum Rhenones indoleſcant, tantum abeſt ut eorum auxilio, vermem hunc corroſivum excutere ac defricare valeant.

Sed quam admirando modo ſortiuntur ne mu-

ſculæ hæ ſuum nutrimentum, ultro ipſis nullo non tempore oblatum? De quo, certe, non aliter ac de Fontanella, ſenſus meos aperire poſſum. Nam forte quemadmodum brachio vel crure corporis humani lanceola Chirurgi aperto, vulnus facile concreſcit, niſi in eodem heterogenei quidpiam inveniatur. Unde ſi piſum eidem immiſeris, vulnus tamdiu hiabit, donec piſum putrefiat. Quousque igitur volupe tibi fuerit, ut vulnus non coaleſcat, recens eidem per intervalla injicias piſum, vetere ſublato. Idem etjam heic obtinet: Muſculæ namque ſemen poſtquam in corpus ſeſe per cutem inſinuavit, ulcus non prius explebitur, quam ſemen hoc fuerit corruptum; id vero non fit, ſiquidem inſectum heic ſuum nanciſcitur nutrimentum.

Quam mirabiliter quoque erumpit hæc muſca ex anguſto ſuo domicilio? Fiſſuræ enim cutis non coëunt, usquedum quidquam heterogenei intus impediverit. Et quia vermiculus muſcæ continuo creſcit, indeque cutis intumeſcens expanditur; fieri aliter non poteſt, quin œſtruarium etjam quotidie dilatetur, & vermiculus, per conſequens, libero fruatur ſpiraculo, quoad in Rhenone delituerit.

Quam mirifice etjam paritur? id quod hoc modo procedit, ut vermiculus poſituram in latibulo mutans caudam foramini applicatam iterum iterumque attrahat & protendat, donec extremitates foraminis ſenſim molliantur & amplificentur: Quo facto tandem prorepit, latebras quærit, exſiccatur, disrumpitur & in muſcam convertitur.

Ceterum ex his omnibus, in profundiſſimam rapior admirationem, conſiderans inſignem illam Sympathiam & Antipathiam, quæ inter muſcam hanc & ipſum Rangiferum deprehenditur: Quod ſcilicet hic, ceu ingens & robuſtum animal, cum rivalibus ſuis, ad extremum usque halitum, pugnare poſſit, quodque is, qui

qui cornua ipſi Lapponi intentare non veretur, tanto percelli queat timore miſerrimæ cujusdam muſculæ, vix ultra duas vel tres ſeptimanas viventis, cuique ipſe, vel unico ictu caudæve vibratione, præſentiſſimam mortem accelerare poſſet. Sane illa nec aculeo nec dentibus, quibus Rhenoni vel minimum adferret incommodi, inſtructa eſt, & nihilominus tantum ipſi metum incutere valet, ut e convallibus alpinis, in altiſſimos nivoſosque montes hanc muſcam evitaturus aufugiat, nec inde, toto die, audeat in paſcua deſcendere, ſtomacho latranti ſatisfacturus, ſed excubias quaſi agens eodem loco ſubſiſtat, atque expanſis oculis, auribus arrectis colloque allevato, calcibus terram feriat, fremat, corpus quatiat caudamque perpetim ultro citroque vibret.

Quis docuit Rangiferum, mali quidpiam ex hac muſcula ipſi eſſe metuendum? Muſca è contrario, tam ardenti illius flagrat deſiderio, qui ipſam veneni inſtar fugit & deteſtatur, ut absque illo nihil ſentiat ſolatii & voluptatis, paucis illis diebus, quibus ætatem ejus florentiſſimam natura circumſcripſit. Certe & victus & quietis oblita nil curat, turbida ne an ſerena fuerit tempeſtas, modo in ſodalitio deſideratiſſimi ſui Rhenonis manere liceat, quem per colles & ſaxa adeo preſſe ſequitur, ut tandem viribus debilitata in nivem delabi cogatur. Has vero omnes moleſtias eum tantummodo in finem devorat, ut ipſi facultas detur unicum ſaltem in dorſum Rhenonis demittendi ovulum, quamvis tot ova in utero ſuo geſtet, ut ſi illa omnia, quibus fœcunda eſt unica muſca, ſeorſim in ſingulos Rhenones projicerentur, ita quidem, ut unum duntaxat quilibet conſequeretur, vix integra legio Rhenonum illis omnibus recipiendis ſufficeret.

Quam diverſis vulnerat cupido ſagittis, acute deſcribit *Ovidius* met: l. 468.

Eque

Eque ſagittifera, promſit duo tela, pharetrâ
Diverſorum operum: facit hoc, fugat illud amorem
Quod facit armatum eſt, & cuſpide fulget acuta;
Quod fugat obtuſum eſt & habet ſub arundine plumbum.
Protinus alter amat, fugit altera *nomen amantis.*

Nemo admiretur, me de rebus œconomicis pauca commentaturum adeo vilem abjectamque beſtiolam, qualis Muſca eſt, ſumſiſſe deſcribendam; Ingens enim quod hæc omnibus Lapponiæ incolis adfert detrimentum, memet ad hanc materiem eligendam allexit.

Primo namque coguntur omnes Lappones, qualibet æſtate, menſibus Junio, Julio & Auguſto, ſedes ſuas ad montana, etjamſi illinc 10. vel 14. milliaria remotas, transferre, idque non alia de cauſſa, quam ut perniciem Rangiferis ex hoc inſecto metuendam effugiant. Alioquin hi œſtrorum compunctionibus usque adeo debilitantur, ut corpus ægre ſuſtinere valeant.

Dein id quoque efficiunt hæc œſtra, ut in ipſis alpibus Rangiferi haud facile invaleſcant, brevi æſtatis tempore, quo virium alias capere deberent incrementa. Aut enim in montibus nivoſis totos fere dies ſubſiſtere coguntur, aut a paſtoribus, ſi forte in paſcua fuerint detruſi, nihil aliud ipſis negotii relinquitur, quam muſcas a ſe continuo propulſare. Unde non ſolum vaccæ ſolito minus lactant, verum etjam tauri langueſcunt, viribusque ad onera portanda ſenſim privantur. Præterea pelles quoque vitiantur. Ubi enim ſedem habuit œſtruarium, rimam ac cicatricem relinquit, nunquam evaneſcentem: unde pretium pellium non parum imminuitur.

Tandem revera tertiæ Rangiferorum parti hæc œſtruaria (Lapponibus Curbma) mortem accelerant præma-

præmaturam, in primis ſecundum agentibus ætatis annum, quo doloris hujus acerrimo adficiuntur ſenſu. Hinc ideo facile eſt judicatu quantum commodi obtingeret Lapponibus, ſi quis medelam huic malo convenientem excogitare poſſet; præſertim cum univerſa Lapponis œconomia, ſalus & divitiæ in Rhenonum multitudine vertantur. Unde in Lapponia quantitatem opum, ex multitudine Rhangiferorum, quos Lappo poſſidet, metiri mos eſt.

Velamine quodam dorſa Rhenonum tegere, eo ſaltim tempore, quo muſca demittit ovula, id quod ſolum fit menſe Julio, utile quidem eſſet; neſcio autem an id Lapponibus, ceu artis textrinæ imperitis, effecti foret poſſibile, quandoquidem Rhenones eorum quingenarium numerum ſuperant; ſæpe vel ſeptingenarium.

Acu tuberculum trajicere, eoque modo puppam enecare, adhuc melius ſuccederet: Ego id feci, deprehendique ſaniem è tuberculo tanquam ex ulcere dimanare; vereor autem ne id vires Rhangiferi nimis debilitaret.

Unguenti quidpiam tergo Rhenonis illinere, etjam videtur fruſtra fore, ſiquidem pili eo anni tempore decidunt.

Cl. noſter *Linder de Morbo Gallico p.* 2. memoriæ prodit, virum eruditionis laude præſtantem ſibi narraſſe, Rhenones quotannis variolis laborare. Ex antea vero allatis patet, cicatrices pellium muſcis, non variolis originem debere.

Dn. Illuſtris Reaumur conjicit, œſtra vaccarum, ope cuſpidis, intra cutem pecudum ovula ſua immittere; Ego vero id in Rhangiferis non obſervaverim; nam præterquam quod nullus in cauda invenitur aculeus, vituli Rhangiferini prima bruma nullis infeſtantur œſtruariis: Cujus quidem ratio eſt, quod vituli verno tempore in lucem editi, lævos habeant pilos eos-

que ſingulos dorſo tenus declives ac propendulos: unde ova ipſis, menſe Julio adhæreſcere nequeunt; ſed multo plura, pilis æſtate ſequente decidentibus, recipiunt, citiusque hieme ſuccedente moriuntur.

Oeſtruaria hæc Bovibus noxia eſſe ſubdubitant Nonnulli; hoc vero dubium in Rhangiferis facillime ſolvent ipſi Lappones, quippe qui hoc morbo tertiam ſæpe partem Rhangiferorum amittunt.

Rhangiferi ſilveſtres in Lapponia & Daliæ Alpibus his æſtruariis rariſſime infeſtantur: id quod ex ea ſine dubio cauſa pendet, quod ipſis, æſtivo tempore, in agris & montibus ſuo arbitratu circumvagari liceat.

Oeſtrum quod dorſo vaccarum innaſcitur ab Oeſtro Rhangiferi diverſiſſima eſt ſpecies, licet generis abſolute ejusdem.

1. Oeſtrum Rhangiferi & magis hirſutum, & duplo majus.
2. Alæ œſtri rhangiferini omnino immaculatæ ſunt, cum in œſtro vaccino alæ ſingulæ faſcia nigricante & tribus punctis fuſcis notantur.
3. Pedes œſtri rhangiferini nigri ſunt; pallidi vero in vaccino œſtro.
4. Abdominis lana in œſtro rhangiferino fulva eſt, & verſus anum flava; in œſtro vaccino abdomen fulvum ſingulis ſegmentis baſi & margine nigricantibus.
5. Ideoque ſynonyma diſtinguenda.

OESTRUM thorace flavo, cingulo nigro, alis nigra faſcia, pedibus pallidis. *Faun. Svec.* 1024.

Muſca bipennis œſtrum dicta, alis membranaceis punctis crebris nigricantibus velut adſperſis. *Raj. inſ.* 471.

Vomils

Vomils *Derrh. phyſico-theol. l.* 8. *c.* 6. *n.* II.

Vermis in ſtercore vaccino. *Friſch. germ.* 5. *p.* 21. *t.* 7.

Oeſtrum. *Reaum. gall. t.* 36. 37. 38.

Habitat in Bobus.

OESTRUS thorace flavo cingulo nigro, alis immaculatis, pedibus nigris. *Faun. Svec.* 1025.

Oeſtrum rhangiferinum lapponicum, abdomine fulvo. *Fl. lapp.* 360. *n.* 517. *Act. Upſal.* 1736. *p.* 31. *n.* 23. *Act. Stockholm.* 1739. *p.* 121. & 1740. *t.* 3. *f.* 5. 6.

Habitat in Rhangiferis.

BREVIS PERVETUSTÆ WESTROGOTHORUM URBIS LIDECOPENSIS DESCRIPTIO.

***

LIdecopia, communi Hiſtoricorum noſtratium, qui ejus injecerunt mentionem, conſenſu, nomen ſortita ſuum eſt ex amne quodam Lida (a) & antiquo vocabulo Gothico Kaupung vel Köping. (b)

Derivatio meo quidem judicio ingenua. Etenim convenientiſſimum eſt, amnem, quem modo dixi, urbi olim adjacentem, jam eandem interfluentem, eidem nomen de ſuo dediſſe.

Kaupung, kaupungur, kaupungr, majoribus noſtris reſpondet emporio ſeu loco, in quem merces olim transportabantur divendebanturque.

Credibile eſt ſimpliciter ab initio urbem Kaupung vel Köping fuiſſe dictam (c) commercandique ergo homines eodem confluxiſſe; poſtea vero, multiplicatis ejusmodi emporiis, ut confuſionem evitarent majores, e re non fore ſtatuerunt, noſtram dicendam eſſe Lidecopiam.

Situationem Lidecopiæ eſſe perauguſtam, haud coacti palam profitemur. Ad ejus partem Septentrionalem ampliſſimus ille Lacus Venerus, tot olim pugnis

(a) vid. Nobil. Stiernman in opere collectaneo de decretis comitialibus paſſim. (b) vid. Verelius, Wexionius, Palmſköldius, alii. (c) vid. Ol. Peri, Meſſenius, Loccenius, pluresque.

gnis cruentis, (d) tot hodienum velis naviculisque præclarus, ſeſe civibus objicit. Qui quidem multa habet laudibus extollenda ſummis, laudibus tamen vix unquam ſatis deprædicanda. Nolumus commemorare profanas ibi Regum ſacrificationes & combuſtiones. (e) Tacemus eundem ſeparaſſe Gothiæ Norvegiæque regna; nec eſt quod dicamus ejus longitudinem non minori ſpatio comprehendi quam 14, latitudinem vero 7. milliaribus Sueticis. Commemoraſſe ſufficiat: eſſe eum trium, quas alluit, provinciarum, Weſtro-Gothiæ, Wermelandiæ Daliæque ornamentum: eſſe eum ſcenam, quæ æſtate plus minus ducentas naves majoris minorisque magnitudinis repræſentat, hominesque longo tractu ſejunctos, vel invitos, ad utiliſſimum commerciorum fœdus ineundum allicit. Et vel verbo indicandum eſt: 24 in hunc Lacum ſeſe exonerare fluvios amnesque, illum vero nullam aquæ facere jacturam, niſi per cataractam illam, quæ Trollhättan dicitur, ſed eandem eo graviorem. Piſcium ſpeciebus, tantum non omnibus, quas Sueciæ Lacus habent, abundat, inſulisque fertiliſſimis diſtinguitur non paucis.

Hunc in Lacum aquas effundit ſuas Amnis Lida, cujus originem, quanta fieri poterit brevitate, adtingamus. Miſſis multorum de ea opinionibus, ſequentem, ut minime incertam, amplectimur, de qua etjam certo facti ſumus certiores. Habet Weſtrogothia præfecturam quandam Elfsborgenſem, in qua jacet territorium Åhſa. Hoc iterum plures continet paroecias, quas inter Helſtadenſis una dicitur. Juxta hujus paroeciæ prædium quoddam, Hoff dictum, vena aquea in pratis propullulat, quam communi nomine Lidam adpellant accolæ. Ea hujus ſcaturiginis eſt natura, ut circumjacentibus fere omnibus vicis,

(d) Snorr. Sturleſſ. Tom. I. p. 39. (e) vid. cit. auct. Tom. I. p. 54.

quolibet anni tempore ejus aqua ſufficiat; quæ continuo ebulliens, verſus boream occidentem per paroecias Möhnenſem, Wångenſem & Kieråkerenſem, hilari curſu ſerpit. Tum territorium Geſenenſe percurrit, moræque jam, ſpatioſior facta, impatiens; territoria Skåning & Laſke dividit. Tandemque multis fluviis ſtipata comitibus, Lidecopiam in duas partes fere æquales ſecans, ingenti aquarum mole in Lacum Venerum diffunditur.

Silvæ, toto anno virentes, pervenuſte urbem cingunt, quæ quidem, amœniorem eidem proſpectum conciliaturæ, nunquam cæduntur, ſed æternitati quaſi conſecratæ, inviolatæ permanent. Neque tamen deeſt Lidecopenſibus earundem materies; illam enim modico pretio a vicinis emtam, naviculis domum transportant.

Multa ſunt in urbis hujus confinio antiquitatis monumenta, quæ hujus chartulæ anguſtiis vix commode continebuntur. In primis ſunt, plures autem olim fuerunt ſplendidæ arces, regibus & principibus perſonis quæ vel domicilia præbuerunt, vel quæ illis adhuc cenſeantur digniſſimæ. (f) Quarum numero operæ pretium erit nominare Leckœam, Jerlehuſam, Ahraneſiam, vel ſi mavis Kinnahuſam, Ingatorpam, Sackebyam (g) prædia vero æqueſtria, Lindholmiam, Frôslundam, Stolam, Ågårdam, Mariædahlam; multa inſuper alia, a noſtra urbe non longe remota, vel ſola nominis recenſione præterimus. Et ut Lectorem convictum teneamus, blandientis naturæ delicias ſtudio veluti heic conſpiraſſe; Sciat circumjacentem terram eſſe frugiferam, neque ultra duo milliaria ab urbe diſtare illum collem, quem noſtrates Kinnakulle dicunt, quemque exteri & populares tanti faciunt. Et quidni facerent?

(f) vid. Prof. Scarin in Diſſert. de monaſterio Gudhemenſi. (g) vid. Meſſen. Scond. illuſtr. T. 12. p. 47. & ſequ.

rent? Ea ejus est altitudo, ut 900 ulnas Sueticas superet, 6. vero milliaria Suetica peripheria sua comprehendat. Et quandoquidem eum urbemque nihil interjaceat præter Wenerum; liberiorem oculorum fructum ab ejus adspectu lætissimo, quem alii insuper hinc 14. mill. distantes vident, percipiunt cives. Sed neque solo ejus adspectu adquiescunt, dum longe major illis exinde oritur prærogativa. Etenim sapidissimos hortorum fructus, varia lapidum segetisque genera, arbores, feras, quid, quod res ad omnes fere sensus adcommodatas, ipsis porrigit.

Secundum determinationem cl. Georg. de L' Isle, qua longitudinem ab insula Ferri Fortunatarum maxime occidentali numeranda, Lidecopia gr. 31. 12. min. qua latitudinem vero distantiam obtinet ab æquatore boream versus, gr. 58. 25. min.

Nemini dubium remanet, Lidecopiam vetustatis fama esse inclutam. Quod licet ita sit, antiquiora tamen ostendere non valet privilegia sibi concessa, quam Regis Christophori Bavari, quæ 1446. edita, haud obscure innuunt, ante hæc tempora Lidecopiam jura civitatis obtinuisse.

Dolent cives vel incendii furorem, vel hostium inclementiam, vel denique nescio quos casus antiquissima privilegia sibi subtraxisse. Plures Historiæ Succanæ Scriptores venerandam illi adtribuunt ætatem, ejusdem vero initia altissimo involventes silentio. (h) En ipsa ignorantia vetustatis testimonium certissimum. Nos vero fixum eidem, a quo incepit, adsignaturi terminum; quod veteri receptum est fama haud contemnendum esse arbitramur. Scilicet: existimant plurimi, Episcopos Skarenses, ab Ansgario, monacho Corbejensi, sacris ordinibus initiatos, tuguria quædam ad ripas

(h) Sunt vero hi Olaus Magnus, Wexionius, generosissimus Comes Magn. Gabr. Dela Gardie in litteris quibusdam, Palmskiöldius & alii; inter exteros vero Hubnerus.

ripas amnis Lidæ, jam aquas ſuas in Venerum inſinuantis, exſtrui curaſſe, piſcatoresque quosdam eodem miſiſſe, quo ſic recentis piſcis inopia ulterius laborare deſinerent. Dictum factum puta; locus primo piſcatoribus, tum aliis, commercandi gratia huc accedentibus impletur. Quoniamque loci amoenitas majus majusque adferret oblectamentum, ibidem vivere ibidemque haud pauci conſtituerunt mori. Hinc Lidecopia facta eſt Köping; interjectoque tempore jura immunitatis accepit. Æqui bonique conſulas, L. B. vulgi opiniones, quas non omni carere fundamento credimus, quæque tibi haud imponerent, ſi ſibi conſtaret inſcriptio æræ, quam habet campanarum templi minima: Thenna klocka år guten i Lidköpings Stad. Thet har både rik och fattig ſammandraget. Anno 1291. 1. Junii. J. N. R. J. Verum meliori forſan jure eſt Scribendum 1591. cum neque perhibeatur eam fuſam eſſe in honorem cujusdam Patroni eccleſiæ, quod vero tum obtinuit, neque anno ſupra dicto hodierna in Gothia viguerunt lingva Suecana numerique Latini. vid. Rever. Archiepiſc. Eric-Benzelius in Colleg. de Antiquit. Sueogothicis. Lib. I. cap. 12. Sed ſit Lidecopia ætate veneranda, præconesque annorum habeat multorum plateas ſuas lapideas, alias aliis pluries ſuperim poſitas. Noſtrarum vero non eſt virtum ejus prima initia certo determinare.

In duas jam dividitur Lidecopia partes, quarum una antiqua, altera dicitur urbs nova. Eædem longo tempore, quas nunc habet, antiquæ urbi fuerunt limites, & graviter interdictum a Magiſtratu fuit, ne illæ plus juſto extenderentur. Ratio, ſecundum civium quidem ſententiam, hæc fuit: Si numerum domiciliorum multiplicaverimus, creſcit dubio procul numerus incolarum atque adeo mercatorum; hinc evaneſcet tandem commercium, civitatis fulcrum, quod abſit quam longiſſime. Domi-

Domicilia fuere quidem ſimplicia, ſed commerciis exercendis commodiſſima. Duarum, qua maximam partem, erant contignationum, quarum ſuperior ſpatium unius cubiti ultra inferiorem extendebatur; ita, ut turbulenta orta tempeſtate, & cives ipſi ab injuria temporis tuti poſſent negotiari, & emtores allicere.

Privilegia urbem ornavit uterque Rex Carolus Canuti & Guſtavus Adolphus, quorum hæc erat Summa: Nundinis unius diei qualibet ſeptimana libere uterentur. Hac clementia Regia ita opulentia excreviſſe credimus Lidecopenſes; ut domicilia lapidea ſibi exſtruere potuerint, quorum vero ne rudera quidem ſuperſunt. Quantum autem hæc privilegia urbi data eidem adtulerunt utilitati; tantum urbes poſtea a Rege Carolo IXno, tum Sudermanniæ Duce exſtructæ, illi fuerunt detrimento. Precibus civium motus Rex Johannes IIIus litteris promiſit, ne quid exinde civitas detrimenti caperet; Sed præmatura morte ſublatus, promiſſis ſtare ipſi integrum non erat. Hinc ſenſim pedetentimque quaſi contagione quadam exitioſa evaneſcens cum opulentia Lidecopiæ dignitas; locum priſtinum inter Sueciæ urbes defenſitare non valuit.

Sed gaudio exultet Lidecopia, ſe in confinio arcis Leckoeenſis eſſe fundatam. Hanc enim arcem, pro immortalibus regno præſtitis beneficiis, illuſtriſſimus Comes Jacobus Delagardie dono accepit, comitatuique Leckoeenſi anno 1651. d. 16. Apr. Lidecopiam ſubjiciunt Regina Chriſtina & Ordines Regni. Quæ Subjectio licet quatuor tantum annos duraret; filio tamen Comiti Magno Gabr. Delagardie novam quandam Lidecopiam, ab antiqua non disjunctam, condere permittitur. Quod ille quidem non intermiſiſſet, niſi ejus conatibus renuiſſet nobilis quidam, Carolus

Christierni Månesköld. Rem narrabimus: Possessor erat Månesköld Soli, urbi trans amnem adjacentis. Heic esset urbs exstruenda, sed omnibus licet tentatis viis, illud noluit Comiti concedere. Hinc negotium transfertur, donec diem Månesköld obiret supremum. Tum vero gener Erlandus Kafle possessionem, suam jam factam, Comiti anno 1670. divendit. Quibus peractis, futuræ urbi privilegia procurat, eademque anno 1671. d. 20. Januar. civibus antiquæ urbis transmittit. Varias deinde ipsemet conficiens constitutiones & ichnographiam novæ urbis elaborans; anno 1672. prima ejusdem jacit fundamenta. Exactissima inter ædificia observaretur symmetria, sicuti & hodie observatur; & plateæ, rectæ non minus quam latæ, quamlibet fere domum distinguerent. Atque adeo intra quinque annorum spatium, urbem habemus conditam & civibus repletam. Quod neque miramur. Elegantia enim & loci amplitudine nova urbs antiquam longe superabat. Cingeretur insuper fossa & vallo terrestri, quo sic contra insultus hostiles cives essent tutiores. Et licet vallum non erigeretur; ejus tamen loco ex omni latere viridis arboribus urbs ornabatur, intra quod propugnaculum nova Lidecopia in præsens tempus exstitit tuta, & utinam tuta semper existeret.

Plura in Dissertatione de Lidecopia Upf. 1744. cujus altera pars proxime sequetur.

Errata in Tabulis Satellitum Jovis.

Tab. VI. ta Aug. 5 d. 17. h. 37 m. 42. f. lege 5 d. 16 h. &c.
Tab. XXIII. Feb. 2 d. 2. 10. 14. f. lege 2 d. 12 h. &c.

a
b
c

Tab. II.

G. D. Ehret delin.